




HISTORIA

ECCLESIAE EVANGELICAE

AUGUSTANAE CONFESSIONI ADDICTORUM

IN

HUNGARIA

UNIVERSE;

PRAECIPUE VERO

IN

TREDECIM OPPIDIS SCEPUSII.

HALBERSTADT,

SUMTIBUS CAROLI BRÜGGEMANNI.

1830.

PRAEFATIO.

Si quo tempore, notitia casuum et vicissitudinum, quas Ecclesia Evangelica, Augustanae potissimum Confessioni Addicta, in Hungaria experta est, patriae civibus, formulam a Luthero constitutam probantibus, non exoptabilis solum, sed necessaria adeo videri potuit: id certe jure meritoque de nostra aetate valere, lubenter largietur, quem non fugit, quo loco nunc res Evangelicorum in Hungaria positae sunt. Indigentiae huic ut subvenirem, pagellas hasce conscripsi.

Historiam Ecclesiae Evangelicae in Hungaria universe, breviter quidem exposui: vix tamen puto omisisse me aliquid, quod scitu necessarium gravisque esset momenti. Copiosius versabar in scribenda historia Senioratus Tredecim Oppidani. Ita ut agerem, tanto magis necessarium judicavi, quo minus dubio caret, fata Ecclesiarum, exstantium in Tredecim Oppidis, ante Polonico Magistratui Jurisdictionique obnoxiis, longe a fortuna differre, quam reliqui Evangelici in Regno Hungariae experti fuere. Quam-

*

vis enim dissimulare nolim, Nostrates a Polonis minus liberaliter et humane fuisse habitos: tamen non alienum me a vero ferre existimo judicium, si confirmo, Oppignerationi illi deberi, quod Oppida haec non modo civilia sua retinuerint jura beneficiaque, sed etiam quod quindecim hominum millia, quae nunc Coetus sacri Evangelici in Tredecim hisce Oppidis numerant, puro Evangelio servata fuerint: cum reliqua Undecim Oppida, quae olim cum oppigneratis Tredecim Oppidis ad eandem Universitatem Viginti Quatuor Regalium Civitatum Terrae Scepusiensis referrebantur, non solum Civilia Privilegia amiserint, sed etiam duobus exceptis, propemodum nullos amplius alant foveantque Evangelicae doctrinae Sectatores. Operae igitur pretium esse censui, docere, quibus causis Tredecim Oppidani Evangelici salutem suam in acceptis referunt.

Adii autem in opere hocce parando copiosos fontes. Cognovi Andreae Schmalii Adversaria ad illustrandam historiam Ecclesiasticam Evangelico-Hungaricam pertinentia, et Ejusdem Commentationem de Vitis Superintendentum Evangelicorum in Hungaria. In rem meam converti fragmenta Actorum Synodalium Quinque Liberarum Civitatum Superioris Hungariae. Volvi octo Tomos in Folio Actorum Religionarium non Tredecim Oppida solum, sed et fata Ecclesiae Evangelicae in Hungaria omnino concernentium, a Paulo Georgio Metzner, Pastore dum viveret Ecclesiae Varaliensis, Bibliothecae Senioratus Tredecim Oppidani donatos. Versabam Volumina decem partim in Folio, partim in Quarto conscripta Collectaneorum historico-ecclesiasticorum, quae Bibliotheca Coetus Evangelici Iglo-

viensis possidet ex bonis Pastoris sui, Venerabilis Andr. Johae Czirbesz morte relictis, aere redemta. Legi Matriculam, quae vulgo Molleriana vocatur, ab anno 1520 — 1606 scriptam, aliam item, quae sub nomine Matriculae Golczianae venit, ab anno 1606 ad 1673 prolatam. Usus sum libello, qui Confessionem Fidei Christianae Parochorum Viginti Quatuor Regalium Ecclesiarum in Scepusio, cum subnotatis Pastorum nominibus continet. Consului Protocollum Visitationis Superintendentialis, per Reverendissimum D. Samuelem Nicolai anno 1805 peractae et Matriculam Senioratus Tredecim Oppidani, per Andream Fabriczy, Senioratus Tredecim Oppidani Seniorem, congestam. Tractabam Joannis Scholtzii, Pastoris Matthaeivillani, jam morte exstincti: Kirchliche Nachrichten von den Evangelischen Zipser-Gemeinen, besonders in den XIII Städten. Fünf Bände in Quart; et ejusdem Scholtzii, Biographische Nachrichten von den Evangelischen Predigern in der ehemaligen Fraternität der XXIV Pfarrherren in Zips. Zwey Bände Quart. Inprimis magno mihi subsidio fuere, plures fasciculi non ligati scriptorum gravissimi momenti, quae ex Bibliotheca laudati Czirbeszii, Coetus Igloviensis sacer, sui juris fecit; prout et alia scripta argumenti historico-ecclesiastici, quae amici suppeditarunt. Ubi licuit etiam singulorum Coetuum sacrorum tabularia lustravi. Atque haec quidem omnia manuscripta fuere.

Ex libris vero typis exscriptis, hos potissimum cum fructu adhibui: Martini Klanitii Christianam Seculi XVI. per Hungariam in Religione Tolerantiam, Pestini anno 1783. Statum Catholicae et Evangelicae Religionum in

Regno Hungariae 1790. Intoleranz des Catholischen Clerus gegen die Ungarischen Protestanten, 1792; Fundam Davidis contra Goliath, an. 1676; Conspectum Reipublicae literariae in Hungaria delineatum a Paulo Wallaszky, Budae 1808; Nachrichten über den jetzigen Zustand der Evangelischen in Ungarn, von Gregor von Berzeviczy, 1822. Vertraute Briefe über die äussere Lage der Evangelischen Kirche in Ungarn, von Ferdinand Friederich, 1825. (Mich. Dion. Doleschal evang. Prediger zu Vág-Ujhely:) Die wichtigsten Schicksale der Evangelischen Kirche in Ungarn vom Jahre 1520—1608. Leipzig 1828.

Neque sprevi nutus, vota, monita familiarium, historiae, quam tractavi, scientissimorum.

Me aliquid omnibus numeris absoluti praestitisse, ut credam, neque ita vanus sum, neque insipiens. Etenim etiam opera maxime consumata, suo non carent vitio labeque. Accedit quod historiae campus infinitus, correctionibus operum historicorum nunquam non relinquat locum. Spero tamen me non prorsus inutilem et supervacaneam navasse operam. Si nonnullis in locis a sententia vulgo recepta, vel aliorum rei gestae narratione discessi, non temere, sed rationum momentis inductus, feci. Cum mihi contingerit adire fontes, ad quos aliis accessus non patebat, multa legere autographa aliis non visa, interdum Tabularia civica et veteres Matriculas nunc manibus Parochorum Catholicorum detentas inspicere: certe non pauca curatius videre finireque poteram, quam alii, ab usu subsidiorum hujus generis exclusi. Interim cum in nonnullis

operis mei locis, primus viam, quam calcavi, fuerim ingressus, lubenter largior, amplum me aliis, historiae peritis et monimenta, literas, tabulas, acta, quae ego non vidi, possidentibus, lineamenta mea emendandi perficiendique liquisse campum.

Praecipue mihi curae fuit, ut oratio, quantum tenues admittebant vires, non nimium a casta latinitate abhorreret. Dicendi formulis, locutionibusque ab elegantia Romana alienis, quibus serior aetas priscam latini sermonis integritatem polluit contaminavitque, tum potissimum usus sum, ubi vel notiones novae, Romanis ignotae erant verbis signandae, vel ambiguitas falsaque interpretatio praecavenda. Quare frequentius in singulis verbis, rarius in integris sententiis a proba latinitate declinavi. Longiores enunciationes sermone corrupto tum solum efferebam, si vel alter loquens scribensque inducendus erat, vel si speravi lectores cogitandi, agendique modum hominum, quorum summum erat in fortunam Ecclesiae nostrae momentum, ex propriis eorum effatis, ore vel scripto prolatis, optime perspecturos esse. Ceterum cum lubens agnoscam me vix primis labiis Romanam degustasse elegantiam: non dubito stylum meum plurimis scatere mendis, quae censor benevolus aequi bonique consulet.

Quod reliquum est, si tenue vileque opus meum a quam plurimis legeretur, atque nonnihil conferret ad amorem Religionis nostrae animis incutiendum, ad studium provehendi Ecclesiae nostrae salutem acuendum, ad eam vigilantiam enixe commendandam, quae cavet quominus exiguis commodis et beneficiis, quae per temporum iniqui-

tatem needum interierunt, securitate et incuria nostra privemur; si praeterea ludorum literariorum Professores Epitomen meam non indignam judicarent, qua uterentur in animis eorum, quorum erit Ecclesiae nostrae jura tutari incolumitatemque ejus promovere, praeclaro huic officio penitus devinciendis: insigne crederem me retulisse laborum et lucubrationum mearum praemium. — Scribebam Calend. Aug. a. c. millesimo octingentesimo vicesimo quinto.

INDEX RERUM

VOLUMINE HOCCE EXPOSITARUM.

Pagina

PARS GENERALIS.

PRIMA LINEAMENTA

HISTORIAE ECCLESIAE EVANGELICAE

IN

HUNGARIA.

Principem inter omnes religiones locum jure meritoque sibi vindicat magistri vere divini, Jesu Christi, quo pater coelestis genus humanum ante hosce octingentos supra mille annos muneraverat, sublimis excelsaque disciplina. Est enim ad veritatis cognitionem juvandam utilissima, ad virtutis studium acuendum aptissima, ad vitae beatitatem parandam commodissima, ad solatia in adversis adferenda efficacissima, ad homines amore, fide et obsequio consociandos oportunissima, et hinc indigentiis necessitatibusque humanae naturae summis et gravissimis accommodatissima. Quare cum sese tot virtutibus commendet, necessarium fuit, ut et ante Magyarorum in regnum, quod inhabitamus adventum, sese in patriam nostram insinuaret, et ab Ungaris ipsis sensim reciperetur. Quoniam tamen religio haec, tempore procedente, humani ingenii commentis foedata, suam praeclaram indolem, vimque beneficam, qua primitus excellebat, amiserat: evenit, ut Martinus Lutherus, in Academia Wittenbergensi Theologiae Doctor, placita praeceptaque Jesu, a Papatus institutionibus, atque vanis confictionibus liberata, altero seculi XVI. decennio exeunte integra orbi restituens, in Regno Hungariae quoque mature non paucos fautores, amicos discipulosque obtineret.

Nec mirum. Nam et intellectus hominis natura magis veritati probandae, quam errori tenendo pervius est, et voluntas potius ad sequendum rectum honestumque, quam ad pravum amplectendum atque fovendum composita. Accesserunt ceteroquin, plures causae aliae, quae doctrinae emendatae, partim viam patefecerunt, partim laetum ejus progressum et incrementum juverunt. Jam nimirum scita Joannis Hussii, ab ejus sectatoribus per superiorem

Hungariam late disseminata, omnes, quibus innotuere, ad probandam Doctoris Vitebergensis formulam, doctrinae magistri Pragensis consentaneam, pronos reddiderunt. Ea deinde fuit religionis Romano-Catholicae, in regno, quod inhabitamus seculo decimo sexto conditio, ut nulla exerceretur in moribus disciplina, nulla praeberetur in literis sacris eruditio, jamque profligata vera pietate, propemodum sola superesset tetra superstitio et foeda libido. Praeterea Scholae alicujus momenti, quoquo patet regnum, praeter coenobiorum ludos, qui misellam putidamque suppeditabant institutionem, aderant nullae. Perturbatus adhaec et domesticis jurgiis dissidiisque laceratus regni status, facilem recenti doctrinae aditum dedit. Cleri quoque perditi mores, et dissoluta vita, magis valebant ad exsecrationem et detestationem avitae religionis incutiendam, quam amorem ejus instillandum. Clades insuper Mohatsensis, quae duos Archi-Episcopos, sex Episcopos, et ad hoc infinitam absorbsit peremitque virorum, ad sacrum ordinem pertinentium copiam, coetus coëgit deficientibus Socerdotibus Catholicis doctrinae Evangelicae recipere praecones. Accessit Primórum nonnullorum, in his Alexii Thurzo, Locumtenentis, die 25. Jan. 1543 mortui, qui in Stipendia Pastorum Leutschoviensium, Theologiaeque Studiosorum, in exteras Academias migrantium, quingentos Florenos, per Magistratum urbis quotannis dissolvendos legaverat, et Petri Perény Coronae Custodis, qui Stephano Kopátsy Concionatore usus, Bodrogi accolis dogmata Christi, per Lutherum instaurata commendaverat, Caspari item Drágfy, Báthorii, Forgáchii, Battyánii aliorumque, Pastores Evangelicam formulam sequentes sponte deligentium, benevolentia. Nec parum progressionem sacrorum purgatorum, sermonibus argumenti gravissimi ad populum habitis, et scriptis commendationis plenis, secundarunt Viri, reduces ex Academia Leucorea, disciplina Lutheri ejusque Sodalium exculti, inter quos praeter Martinum Cyriaci

(Cyriaki) *) Dionysius Lyncius, Balthasarus Gleba, Joannes Uthmann, Christianus Lany, Joannes Siegler, Michaël Szalay, Matthias Biro, Matthias Devay (de Vay), qui Sázvárini, Budae, Cassoviae docuit, sed jam ante annum 1544 ad Reformatos descivit, Georgius Debrecinus, memorantur. Ipsi etiam mercatores Hungari, maxime Scepusiaci, Lipsienses nundinas obeuntes, de doctrina Evangelii eo bene meruerunt, quod ad penates reversi, illam partim ore commendaverint, partim communicando scripta Lutheri, quae emere, regno inferre, legere, nulli censores, nulli scriptorum prohibitorum indices impediebant, divulgaverint. Facilitas postea et indulgentia Principum, a re Evangelica non alienatorum, multum sacris Evangelicis in Hungaria suffragabatur. Maria certe Regina, Ludovici II. conjunx, quae insignem Virum Joannem Henkelium, Leutschoviensem, a concionibus habebat, tantopere se in sacra instaurata inclinabat, ut ipse Lutherus studium matronae literis et, cum alios thesauros principe dignos non haberet, quatuor Psalmorum sermone theodisco redditorum dono, anno 1526 celebraret. Ipsi denique adversarii, intempestivo religionis Evangelicae opprimendae studio incensi, principem inter adjutores doctrinae illius, tenent locum. Eorum antesignanus quasi est, Georgius Szakmari, Strigoniensis Archi-Episcopus, qui auctoritate Pontificis Romani, Leonis X., jam anno 1521 de suggestibus sacris Lutheri dogmata damnari jubebat; atque ipse Rex Ludovicus II., qui anno 1523 Lutheri ami-

*) Martinus Cyriaci vulgo Leutschoviensis habetur, diciturque eum Philippo Melanthone Academiae Rectore, anno 1522 civibus Academiae fuisse attributum. Enimvero et origo viri incerta est, etenim non constat an Inscriptio in Albo Vitebergensi obvia,, lötsei" Jötsei vel Lötsei legi debeat, neque intelligitur cur Hungara potius voce „Lötsei," quam Latina „Leutschoviensis" in notando loco natali fuerit usus; et nulla prorsus adsunt vestigia, eum si vere Leutschoviensis erat, unquam ab exteris rediisse, atque sive Leutschoviae, sive ullo alio in loco quidpiam ad commendandam Evangelii doctrinam, qua Vitebergae imbutus fuerat, contulisse.

cos, eorumque factioni adhaerentes, tanquam publicos haereticos et Sanctae Virginis Mariae hostes, bonorum publicatione et supplicio capitis plecti, anno vero 1525 eosdem ubi ubi reperirentur comprehensos, vivos comburi praecepit. Duumviros hos Ecclesiae Evangelicae in Hungaria satoribus merito accensemus; dum enim ita in Lutheri amicos furerent, via hacce contrarium ejus, quod petebant, consequuti sunt. Excitarunt namque curiositatem hominum, desideriumque sententiam Lutheri cognoscendi. Qua re factum est, ut multos, quibus doctrina haec forsitan nunquam innotuisset, cum ea familiares redderent.

His praesidiis et subsidiis adjuta, fieri nequiverat, quin celerem progressum nanciseeretur et constabiliretur, causa Lutheri. Promovebant enim laudabiles conatus praeclari viri, regni Proceres, Franciscus Drágfy, Franciscus Révay, Thomas Nádasdy (ad quem Philippus Melanthon Nonis Octobris anno 1537 literas dedit, quibus ejus studium magno sumtu scholam constituendi laudat, eique Matthiam Devay commendat). Vidua Petri Jaxith, Franciscus Bebek, Podmanitzkyi, Illyésházyi, Georgius, Stanislaus et Emericus Thurzó, Nicolaus Dersfy, Stephanus, Sigismundus et Emericus Tökely (Tököly, Thököly, Thökely), Sigismundus Balassa, Moses Szunyogh, Jeremias Pongratz, Theodosius Szirmiensis, Joan. Davides de Sentz-Péter, Joannes Hrabowszky, Franciscus Eszterházy et alii. Juvabant praeterea successum Evangelii, religionis doctores, quales viderunt: Cassovia Antonium Transsylvanum et Matthiam Devay, Bartpha Esajam Lang et Michaëlem Radaschinum, Leutschovia Bartholomaeum Bognerum, Eperiessinum Samuelem Sautnerum, Cibinium Joannem Praedicatorem a Luthero Viteberga anno 1526 missum, Debrecinum Basilium Radan, Ujhelyinum et Patakinum Michaëlem

Siklosi (circa annum 1522), et Stephanum Kopátsi, ora Scepusiensis omnino, Andream Fischer et Georgium Leutscher (Leidischer, Lewdischer), Bela Laurentium Serpilium Quendel; tractus Trenchiniensis (an. 1526) Basilium Modonium; an. 1530 Paulum de Hunicsowa, Georgium Bohemum et Joannem Schindlerum, Arvensis Casparem Kolarik, Jeroslaum Urbanowits, Liptoviensis Andream Jacobaei, Stanislaum Mokossinum, Zoliensis Nicolaum Matthaesium, Joannem Zeisel, Antonium Philadelphi, Gömeriensis Andream Fischer; — regio Cis- et Trans-Danubiana Joannem Schader, Collacinum, Moschoviensis et Banovicensis Scholae Rectorem; Joannem Pruno (Comitis Georgii Thurzo Praeceptorem), Albertum Husselium Prividiensis et Moschoviensis ludi Rectorem, Petrum Bornemisszam (Abstemium); Montanae civitates M. Achazium, Nicodemum Sartorium, Georgium Lowcsany.

Neque temere *adibant Academiam Leucoream Magnates Hungari,* inter quos praecipue inclaruerunt: Emericus Thurzo, Palatini Georgii filius, anno 1615 Universitatis Rector, Liber Baro Michaël Forgách, Sigismundus Péchy, Sigismundus Márjassy, Thomas Eszterházy, Marcus Horwath Stansith de Gradecz, Nicolaus Horwath Mladossevicz, Caspar Szanyogh de Jeszenicze L. Baro in Budetin, Gabriel Keczer de Lipocz et alii. Hi enim in patriam remeantes, et doctrinam, quam ibi imbiberunt, popularibus potenter commendabant, et opes suas lubenter rei evangelicae provehendae dicabant. Illorum certe complures *ludos literarum* vel condiderunt vel sublevabant. Suffragabantur nimirum *Scholae* Moschoviensi L. B. Révay, Galgocensi et Bitsensi Comites Georgius, Stanislaus et Emericus Thurzo, Uj-Szigetensi et Csepreghensi Comites de Nádasd, Vágh-Besztercensi L. B. Balassa, Kiszuca-Ujhelyiensi Ungnad, Rosenbergensi et Banovicensi Comites Illyésházy (quorum unus, Stephanus Scholae majorem celebritatem paraturus, M. Eliam Ursinum, Delicio-Misnicum

in Rectorem adscivit), Necrensi in Scepusio Gregorius Horwath Stansith de Gradecz (qui eodem, quo Illyésházy consilio, Albertum Graverum e Germania arcessivit), Sáros-Patakiensi, Petrus et Gabriel Perény, Trenchiniensi Forgáchii, Illavensi Ostrosith, Neostadensi ad Vagum Szunyoghii, Berzevicensi Berceviczyi, Görgensi, Görgeyi, Szent-Ivanensi Szent-Ivanyi. Plus adhuc ad Evangelii doctrinam conservandam et propagandam contulerunt *Gymnasia*, velut Bartphense (quod Leonhardum Stöckelium, Lutheri et Melanthonis tredecim annorum intervallo discipulum ab anno 1539 ad 7. Junii 1560 moderatorem venerabatur tantopere celebratum, ut ipse Antonius Verantius, Episcopus Agriensis, Hieronymum Domitium, sororis suae filium, sine ulla dubitatione illi in disciplinam dederit), Eperiessiense, Cassoviense, Leutschoviense, Soproniense, Posoniense, Neosoliense, Schemniciense. Neque vero contenti erant docti Hungariae viri, sacris Evangelicis addicti, studio puram evangelii doctrinam ore aliis commendandi tradendique, sed in eo etiam elaborabant, ut et dissitis remotisque fructus lucubrationum suarum propinarent. Studium hocce veriora alios scripto quoque edocendi, mox multis *Typographiis* erigendis ansam dedit. Potiores earum erant: Uj-Szigetensis (an. 1541 condita), Debrecinensis (1562), Bartphensis et Varadiensis (an. 1568), Komiatensis (an. 1570), Also-Lindvensis (1574), Semptaviensis et Neosoliensis (an. 1575), Világos-Várensis et Nemeth-Ujvarensis (an 1582), Detreköensis et Galgocensis (an. 1584), Monyorokerekensis (a. 1589), Vizsolensis (an. 1590), Szécsénensis, Papensis, Galanthana, Cassoviensis, Keresztarensis, Trenchiniensis, Solnensis, Senicensis, Puchoviensis, Leutschoviensis, Csepreghensis etc.

Ipsi *Reges* quoque *incrementum doctrinae Evangelicae* in Regno Hungariae inscii imprudentesque (wider ihr Wissen) varie *juverunt*, velut confirmando Pastorum Evan-

gelicorum Jura, Reditus, Titulos, Honores *), tuendo eos adversus oppressorum violentias etc. Fecerunt postremum hocce Ferdinandus I. qui d. 3. Nov. 1551 Tredecim Oppidanis Pastoribus in Scepusio, literas protectorias dedit — et idem Ferdinandus privilegio anni 1548 Viginti Quatuor Regalium Pastorum in Scepusio Jus percipiendi decimam confirmans; Maximilianus item, qui literis 30. Sept. 1555 cavit ne Tredecim Oppidorum Scepusiensium Pastoribus, insolita onera imponantur; Rudolphus denique, qui d. 29. April 1578 Joanni Ruebero de Pixendorf et Grawenwerth, Supremo Copiarum per Hungariam Superiorem Praefecto, ne Tredecim Oppidorum Pastores, quorum se praecipuum Patronum adpellat, per Capitaneos et Officiales arcis Libloviensis, injustis exactionibus exagitari sinat, mandavit, et anno 1584 Ministros Liptovienses peculiari Privilegio in suam fidem recepit. Exemplorum horum aemuli, *Regni Barones et Praelati Romano-Catholici*, Pastores Evangelicos „Praepositos (quales Vág-Ujhelyini et Baimocini habebamus), Vice-Archidiaconos, Plebanos, Fratres nominantes" multum eorum auctoritati et per id prospere propagandae religioni Evangelicae consuluerunt.

Ipsi etiam *militiae Caesareae Praefecti* evangelici, Lazarus Schwendy et Joannes Rueber, non inutilem sacris emendatis praestiterunt operam.

Magnum postremo momentum ad animos hominum religioni Evangelicae devinciendos, habuit *nonnullorum Praelatorum*, qui ritu Romano relicto, Evangelio nomen dederunt auctoritas. Tales fuere Franciscus Thurzo, Episcopus Nitriensis, qui anno 1556 sacra Evangelica amplexus, uxorem duxit; Martinus Kechety de Kyres, Episcopus Vesprimensis, Franciscus Bachy, Praepositus Terrae

*) Dignati enim sunt eos compellatione, honorabilium, venerabiliumque virorum, quo nomine Parochos quoque Romano-Catholicos ornabant.

éjiciendos esse. Quare mense Augusto an. 1549 dimissi fuere ad Superioris Hungariae Liberas Regiasque Civitates duo Quaesitores (Commissarii), Stephanus Bardala (Sbardalat, Sbardelat), Episcopus Vacensis, et Gregorius Sibrik, Consiliarius Regis, visuri num partium illarum incolae haereseos labe sint infecti. Viris hisce primum urbes singulae, ut suspicionem errorum, quos Sacramentarii et Anabaptistae fovebant, a se amolirentur, fidei Confessionem exhibuerunt, deinde aliam in Conventu Leutschoviae die 22. Aug. habito, per Leonhardum Stöckelium paratam, Imperatori Ferdinando communi nomine eodem anno 1549 reddiderunt. Rex symbolum hocce clementer probavit et illud amplectentes turbari vetuit. Confirmavit idem Symbolum Rex Ferdinandus I. denuo, atque Nicolaus Olahus, Archi-Episcopus Strigoniensis, et Antonius Verantius (Wranchith), Episcopus Agriensis, anno 1560, et idem Ant. Verantius jam ad ampliores Archi-Episcopi Strigoniensis honores provectus, anno 1573 Eperiessini ubi in Judiciis Octavalibus versabatur. Confessio haec identidem typis exscripta, legi potest etiam in Martini Klanitii Christiana seculi XVI. per Hungariam in Religione Tolerantia, Pestini an. 1783 edita.

Altera est *Confessio Fidei Montanarum et his vicinarum Ecclesiarum*, ad normam Augustanae Confessionis anno 1558 Cremnicii composita, Stöckelianae superstructa, die 5. Decembris 1559 Schemnicii lecta, ab omnibus Montanarum Civitatum V. D. Ministris subscripta, post Regi Ferdinando, qui eam probavit atque Archi-Episcopo Strigoniensi Nicolao Olaho tradita, in Synodis an. 1569 et 1577 Schemnicii celebratis roborata, anno 1570 Neosolii typis Christophori Scholtzii vulgata.

Accedit his: *Confessio Nobilium et Ignobilium Vallis Agriensis* die 6. Febr. an. 1562 concepta, a Rege quidem non rejecta, manifeste tamen in sententiam Theologorum Helveticorum discedens. Praecipuas in ea scri-

benda partes habuit Petrus Inhasy (Melius), Pastor Debrecin.

Postremo *Confessio Fidei Christianae Parochorum Viginti Quatuor Regalium Ecclesiarum in Scepusio*, de qua alias plura.

Confessiones hae in Congregationibus et Synodis una cum Augustana Confessione legebantur, atque nomine subnotato roborabantur.

Synodorum maxime memorabiles sunt:

Erdődini volente Casparo Drágfyo, anno 1545, praesentibus 29. Pastoribus celebrata, in qua retenta Augustana Confessione, duodecim Articuli constituti fuerunt.

Quinque Liberae Regiaeque Civitates Superioris Hungariae, Cassovia, Leutschovia, Bartpha, Eperiessinum, Cibinium, quibus seriori tempore Oppidum Nagy-Sáros quoque accessit *), *frequenter Synodos celebrarunt* quarum potiores sunt: Eperiessiensis anni 1546, in qua Augustana Confessione servata, consensio in ritibus Articulis XII sanciebatur, qui procedente tempore in Conventibus praelegi solebant, subindeque novis adscriptionibus augebantur; Leutschoviensis anni 1549, quae Confessioni Pentapolitanae natales dedit; Bartphensis 1564 diei 7. et 8. Junii, in qua omnes legati Confessioni Quinque R. Liberarumque Civitatum, anno 1560 Imperatori Ferdinando, Archi-Episcopo Strigoniensi, Nicolao Olaho, et Episcopo Agriensi, Antonio Verantio, exhibitae, nomina subnotarunt; Eperiessiensis, d. 20. Oct. 1579, in qua utriusque ordinis Viri subscripserunt Confessioni Quinque Regiarum Civitatum et Oppidi Nagy-Sáros, atque Corpori Doctrinae Philippi Melanthonis; Bartphensis diei 1. Martii 1589, in qua utriusque ordinis viri hac lege subscripserunt Conf.

*) Jam in Conventu Eperiessini d. 20. Oct. an. 1579 celebrato subscriptum est Confessioni Ecclesiarum Quinque Civitatum et Oppidi Nagy-Sáros.

Quinque Civitatum atque Corpori doctrinae Melanthonis, ut si hujus opus in Articulis controversis cuipiam non satis faceret, declarationem petat non ex scriptis Calvini sed Lutheri, nominatim in controversia Sacrae Coenae, referant sese civitates ad Confessionem Lutheri; Bartphensis d. 13. Nov. 1590, in qua Articuli an. 1546 Eperiessini compositi, lecti uberiusque declarati sunt, atque inter alia sanciebatur, ut Ministri ordinandi ad Archidiaconum mittantur et impensa suppeditetur ab iis, in quorum commodum ordinatio fit; Eperiessiensis diei 5. et 6. Octobris, in qua perlecta Confessione anno 1549 Regi Ferdinando reddita, Senior nuncios monuit, ut Anabaptistarum et Sacramentariorum calumniosam doctrinam vitent. In eadem Synodo etiam M. Jo. Mylius, Scholae Leutschoviensis Rector, impii studii placitorum Calvini, potissimum in dogmate de coena domini, reus pronunciatus fuit; Bartphensis d. 4. et 5. Oct. 1594, in qua Augustana Conf. legebatur, addita controversorum Articulorum declaratione ex scriptis Lutheri petita; Eperiessiensis d. 10. Oct. 1595, in qua Confessio Quinque Civitatum lecta et nominibus subnotatis roborata fuit; Eperiessiensis d. 22. 23. April. 1597, in qua Augustana Confessio atque huic congrua Confessio Quinque R. Liber. Civitatum lecta ab omnibusque, qui aderant, probata, errores vero Flaccianorum et Calvinistarum rejecti fuerunt; Leutschoviensis d. 5. 6. Nov. 1597, in qua confirmata Aug. et Quinque L L. R R. Civitatum Superioris Hungariae Confessione, repudiabantur scripta Calvinistarum, quibus Scepusium non vacabat, scuriliter et impie doctrinam Lutheri de omnipraesentia Christi veri Dei et hominis, tanquam portentosam et vanam, recens a quibusdam Theologis inventam explodentium, cum tamen doctrina haec Scripturae Sacrae et veteris Ecclesiae testimonia pro se habeat; Cibiniensis d. 9 et 10. Mart. 1599, quae omnia impia dogmata, Arianorum, Antitrinitariorum seu Zwinglianorum tam de persona, quam de coena Christi damnavit.

Liceat Synodis hisce Quinque L. R. Civitatum seculi XVI. ordinis et cohaerentiae causa adnectere Synodos seculo XVII. celebratas, quamvis jam ad seriorem periodum pertinentes. Est vero earum haec series: Leutschoviensis d. 28. Jun. 1614, quae M. Petro Zablero, Pastori Leutschoviensi, Superintendentis Quinque L. R. Civitatum ordines contulit; Bartphensis d. 6. 7. Jun. 1629, quae Zablerum munere Superintendentis sese denuo abdicantem (idem quippe jam in Synodo Cibiniensi d. 3. 4. Oct. 1618 fecerat) ad illud ultra administrandum perduxit; Cibiniensis d. 1. Nov. 1645, quae Martinum Wagnerum, Ecclesiae Bartphensis Pastorem, Superintendentem constituit; Bartphensis d. 3. Sept. 1652, quae perlecta Augustana atque Quinque Civitatum Confessione, ea, quae ratione caerimoniarum, festorum, Scholarum, Confessionis auricularis e re videbantur sanxit, atque quaestionem an in sacris publicis preces et cantiones latino solum, vel nonnisi germanico vel utroque sermone dicendae canendaeque forent? ita finivit, ut usum, qui quovis in loco obtinebat, servandum esse pronunciaret; Eperiessiensis d. 15. 16. 17. Maji 1656, quae praelecto Diplomate Palatinali majori Quinque L. R. Civitatum, quo Acta Synodi Varaliensis confirmabantur, arbitri declararunt eos, „sensui literali Diplomatis inhaerere sublatis abusibus"; eodem tempore etiam Confessionis Quinque Civitatum Articuli lingua germanica, latina et hungarica, lecti fuere; Eperiessiensis d. 3. Jul. 1656, quae aequabilitatem liturgiae, ordinem sacrorum, modum disciplinae ecclesiasticae, rationem scholarum (Vorlesungen) in ludis habendarum, ordinat; Cibiniensis d. 15. Jul. 1666, in qua Michaël Liefmann, Cassoviensis Ecclesiae Pastor, invitus licet in Superintendentem electus, et per Christianum Seelmannum, Pastorem Leutschoviensem, inauguratus fuit; Cassoviensis d. 6. 7. 8. 9. Febr. 1668, in qua diploma Palatinale majus et minus (quod posterius confirmationem Superintendentis Quinque Lib. Reg.

Civitatum Superioris Hungariae continebat, lectum singulaque utriusque puncta uberius explicata, illustrataque fuerunt, atque Ecclesia etiam Kesmarkiensis in Contubernium Quinque L. R. Civitatum ea lege recepta fuit, ut Pastores ejus, formulam Concordiae jurejurando probent, in Concionibus Contubernii locum quidem cum suffragio habeant, jus tamen Candidatorum pro Superintendentis munere numerum ingrediendi sibi nunquam vindicent, ipse autem Coetus Kesmarkiensis aerario Quinque Civitatum ducentos Florenos Ungaricales inferat; Bartphensis d. 26. Jul. 1683, in qua Philippus Heutschius, Pastor Cassoviensis, in Superintendentis honores provectus fuit.

Montanae Civitates identidem, praesertim Cremnicii, de rebus ecclesiasticis agebant. Celeberrima harum concionum est anni 1569, in qua Confessione Fidei Montanarum Ecclesiarum, de qua paulo ante diximus, lecta, rituum aequabilitas decernebatur. Confirmata fuere Acta illius Synodi anno 1577 in Synodo Cremnicii coacta, in qua Articuli 25 a duodecim Pastoribus subscripti, fuerunt conditi.

In Conventu *Sátor-Ujhelyini* et in arce *Fysir* an. 1563 habito, de dogmatibus controversis agebatur.

Anno 1591 *Csepreghini* Conventus fuit habitus, in quo Severinum Scultetum, Pastorem Bartphensem, inter et Stephanum Böyte (Böjthe), Pastorem Németh-Ujvarensem et Ecclesiarum circa fluvium Arabonem Superintendentem, Colloquium de Coena Domini fuit institutum, quo terminato Böyte publice ad Reformatos transiit. Synodus haec separationem eorum, qui Helveticam probabant fidei Confessionem, ab iis, qui Augustanae adhaerebant formulae consumavit.

Omnes has Synodos celebritate superabant: *Solnensis* anni 1610, in qua ordo ecclesiasticus constitutus, tresque Superintendentes decem Comitatibus Cis-Danubianis fue-

runt praepositi; *Szepes-Varaliensis* ann. 1614, in qua M. Petrus Zablerus Pastor Leutschoviensis in Superintendentem Quinque Lib. Regiarumque Civitatum, et Magister Stephanus Xylander, Pastor Ecclesiae Sz.-Varaliensis in Superintendentem reliquarum Ecclesiarum per Comitt. Scepusiensem et Sarossiensem diffusarum, fuit electus; *Rosenbergensis* ann. 1707, in qua pessumdatae injuria temporum res Evangelicorum reparabantur. Sed de tribus hisce Synodis suis in locis plura.

In Synodis interdum *Ordinatio* quoque Pastorum suscipiebatur, qualem v. c. Michaël Radaschinus, Bartphensis Ecclesiae Pastor et Quinque L. R. Civitatum Superioris Hungariae Senior, item Michaël Sztarinus et Stephanus Szegedinus, hic posterior Szigethini in concilio complurium Comitum et Baronum an. 1558 peregit. Alioqui Venerabilis Ministerii Candidati illa aetate ordinibus sacris initiabantur, Vitebergae, Brigae et Graecii. Constitutis Superintendentibus, actum hunc illi peragebant, quamvis integrum fuerit hac de causa ad exteros quoque refugere.

Non erat quidem ante annum 1608 adhuc publica auctoritate confirmatum publicum Aug. Conf. Addictorum Religionis exercitium: interim tamen Reges, qui hac periodo vixerunt, saluti Evangelicorum in regno Hungariae propemodum nihil nocuere.

Nam quod quidem ad *Ferdinandum*, summae rerum ab anno 1527 ad 1564 praefectum adtinet, quamvis diffiteri nequeamus, eum privatim nonnulla decreta condidisse Nostratibus funesta (veluti Rescriptum vicesimae Augusti an. 1527 ne quis audeat doctrinam Lutheri, Zwinglii, Oecolampadii profiteri, promovere, tutari, utique omnes haereseos convicti, severe puniantur; Rescriptum item causa Esajae Lang concionatoris anno 1524 ad Bartphenses, et aliud anno 1543 ad Scepusienses datum); atque in Patres quoque e Societate Jesu, nefarios illos

1564 promulgari jussit, atque in caelibatu Cleri tollendo, multam, sed inutilem locavit operam. Pontifex namque literas, hujus rei causa ab Imperatore acceptas, ne responso quidem dignatus est. Loyolitae praeterea in Maximiliano tam parum habebant praesidii, ut satius esse ducerent anno 1567 regno excedere. Generatim vero, quamdiu Maximilianus habenas rerum (ab anno 1564 — 1576) tenebat, neque in publicis regni Comitiis, neque privatim rege jubente in perniciem Evangelicorum quidpiam fuit sancitum, partim quod humanus princeps persuasum sibi habuerit, nullum esse gravius scelus arrogantia praescribendi, quid de rebus divinis statuendum, quave ratione numen sit colendum, partim quod civilis ordinis nuncii in Comitiis praesentes, omnes propemodum Evangelici fuerint, Catholici vero Praelati vix audirentur.

Prorsus idem de Rudolpho II. quidem non valet. Princeps enim hic, pluribus annis in Hispania a Jesuitis educatus, a liberalitate in eos, qui in sententiam Ecclesiae Romanae, cujus maximum esse voluit pondus auctoritatemque, non discedebant, longe erat alienus. Sed partim quod artibus mechanicis, astrologia, chemia, alchymia et equis magis delectaretur, quam negotiis et curis ad regendos populos pertinentibus, partim quod a patria nostra remotus, Pragae viveret; partim denique, quod Nostrates eo tempore et numero et auctoritate potiores fuerint: Evangelici in Hungaria in universum, per eum aperte et manifesto nondum laedebantur, quamvis singulis in locis eo permittente et connivente Evangelicae religionis hostes, Nostratibus gravia intulerint damna. Princeps, Rudolpho vivente, Evangelicorum in Hungaria adversarius fuit Georgius Draskovits, Archi-Episcopus Colotsensis, qui anno 1586 Patres ex Societate Jesu revexit, pro iisque ejusdem anni die 19. Maji, Praepositurам Thurocensem impetravit.

In universum proinde Ferdinandus et Maximilianus — prior prudentiae legibus ita exigentibus, posterior ex animi sententia, amicis potius Ecclesiae Evangelicae, quam ejusdem adversariis; Rudolphus autem (minimum ante initum anno 1600 cum Clemente VIII. Pontifice Romano foedus) non osoribus illius accensendi sunt. Nam praeterquam quod — ut ante vidimus — iis non impedientibus Nostrates in coetus coaluerint, Templa struxerint, Scholas condiderint, Typographias erexerint, literarum causa libere exteras Academias adierint, Symbola pararint, Conventus coëgerint, Synodos celebrarint, viros literarum sacrarum non ignaros solemni inaugurationis ritu muneri sacro admoverint: id quoque eorum liberalitati acceptum referebant, quod Ecclesiarum Recensionem (Visitationem) — qualem v. c. Davides Chytraeus in coetibus fluvio Araboni adjacentibus an. 1569, Pastores militiae Caesareae Muranyensis et vicinarum Ecclesiarum Superintendentes anno 1578 et 1596 (Joannes Rimanoviani), Matthias item Eberhard, Schemnicensis Pastor in Civitatibus Montanis, coetibusque ab illis non longe dissitis, peregerunt — tuto instituere potuerint; in Juribus et Privilegiis ante Parochis Romano-Catholicis concessis, jam transeuntibus ad sacra Evangelica integris coetibus ad eos devolutis, nemine turbante fruendis confirmati, atque muneribus quoque publicis summis et gravissimis admoti fuerint. Habebant enim Nostrates seculo XVI.: Palatinos, Thomam de Nádasd (an. 1554 — 1562); Locumtenentem Regium, Alexium I. Thurzo de Bethlemfalva (an. 1536 — 1543); Locumtenentes Palatini, Franciscum de Réva (an 1543 — 1553), Michaëlem Mérey (an. 1563 — 1572), Emericum Czobor (an. 1572 — 1582); Judices Curiae Regiae, Gabrielem Perény († 1567), Nicolaum Báthóry de Ecsed (1568 — 1585), Stephanum Báthory (1587 — 1605); Magistros Regalium Tavernicorum, Thomam de Nádasd (an. 1540), Nicolaum Zriny (an. 1557); Magistros Rega-

lium Janitorum, Joannem Balassa de Gyarmath, Ladislaum Bánfy de Also-Lindva, Michaëlem de Réva (an. 1579); Magistrum Regalium Agazonum, Franciscum de Battyán; Magistros Regalium Pincernarum, Simonem Forgách de Ghymes († 1598), Franciscum Dersfy de Szerdahely; Magistros Regalium Dapiferorum, Stephanum Bánfy de Also-Lindva (an. 1554 — 1568); Magistrum Curiae Regiae, Franciscum Thurzo (an. 1569 — 1576).

Supremos Comites: in Comitatu Abaujvarensi, Petrum et Gabrielem Perény; Arvensi Thurzones; Barchiensi, Stephanum et Franciscum Dobo de Ruszka; Bereghensi, Casparem Magótsy; Borschodensi, Sigismundum Balassa de Gyarmath; Castriferrei, Franciscum de Battyán et Franciscum de Nádasd; Hevessensi, Casparem Magótsy; Honthensi, Melchiorem Balassa, Franciscum Nyáry, Joannem Balassa; Krasznensi, Casparem Drágfy; Liptoviensi, Joannem Krusith et Comites Illyésházy; Neogradensi, Melchiorem Balassa, Andream Balassa et Sigismundum Forgách; Posoniensi, Comitem Ecchium a Salmis et Comitem Nicolaum a Salmis; Sárossiensi, Joannem Rueberum Liberum Baronem a Pixendorf et Grawenwerth, Franciscum Dersfy de Szerdahely; Scepusiensi, Comites de gente Thurzonum; Simeghiensi, Szaboltsensi, Szathmarensi, Nicolaum et Stephanum de Bátor; Soproniensi, Franciscum de Nádasd et Franciscum de Battyán; Szaladensi, Stephanum Bánfy de Also-Lindva; Temessensi, Petrum de Perén; Thurocensi, de gente Réva; Tornensi, Casparem Magótsy; Trenchiniensi, Emericum Forgách et Stephanum Illyésházy; Unghensi, Stephanum Drugeth de Homona; Zempliniensi, Ladislaum Drugeth de Homona; Zoliensi, Joannem Balassa de Gyarmath.

Quae cum ita sint nulli dubitamus seculum XVItum et XVIImi initium, aureae aetati Ecclesiae Evangelicae in Hungaria adsignare. Enimvero mox mutari coepit rerum facies. Cum nimirum Curia Romana omnibus machinatio-

nibus et artificiis, causa Evangelicorum in sinum Ecclesiae Romanae reducendorum adhibitis — inter quae Synodus Tridentina ab anno 1546 ad 1564 celebrata et Ordo Patrum e Societate Jesu anno 1540 conditus, principem tenent locum — nihil proficeret: Clemens VIII., Pontifex Romanus, anno 1600 cum Principibus Europae Romano-Catholicis — Galliarum Rege et Magno Duce Toscanae exceptis, — de exstirpandis haereticis foedus fecit. Quoniam vero foederi huic Rudolphus quoque adscriptus fuit, factum est, ut ab eo tempore jam liberius nonnullis in locis vexarentur in patria nostra Evangelici. Praecipuus ea aetate Nostratium carnifex fuit Joannes Jacobus Barbiano Comes Belgiojoso, ante Custos Monasterii (Guardian) Monachorum Carthusianorum Romae, qui anno 1602 Cassoviae provinciam Summi Copiarum Caesarearum praefecti adiit. Vir hic incredibili cupiditate et desiderio religionem Evangelicam exstirpandi flagrans, Evangelicis Cassoviensibus d. 11. Nov. 1603 vi templa eripuit, possessionem civitatis in publicum addixit, incolas urbis Evangelicos non solum publico sacrorum usu interdixit, verum etiam privata pietatis exercitia, sacramentorumque administrationem vetuit, vicinos autem urbi Pastores Evangelicos, Vallonum ope ab eorum sedibus depulit et Statibus atque Ordinibus Galszécséni congregatis aperte declaravit, se habere Mandata Caesaris de religione Evangelica penitus delenda et opprimenda. Cassovienses territi, conjunctim cum aliis quoque urbibus Pragam ad Caesarem legatos misere, erepta Templa repetitueros. Enimvero cum ne quidem ad alloquium Rudolphi fuissent admissi: ad Comitia anno 1604 Posonii celebrata, libello supplici confugerunt, liberum sacrorum usum, restitutionem ademptorum templorum et potestatem alendi Pastores flagitantes. Scriptum hocce Rudolpho Pragam fuit missum. Imperator obcoecatus consiliis ministrorum, Jesuitarum sententiam sequentium, afflictis Evangelicis non modo mederi renuit, sed etiam propria

auctoritate Articulis Comitiorum adnexuit Articulum XXII., in quo non solum reprobavit, quod Evangelici libello suo neque singulatim ostenderint, qua ratione jura eorum violata, quaeve templa cum reditibus eis erepta fuerint, neque nomina subnotaverint: sed etiam suo judicio omnes leges regni in favorem Ecclesiae Romanae inde a temporibus S. Stephani latas confirmavit, querimonias religionis causa in Comitiis proponere vetuit, edixitque ut violatores hujus legis severe plectantur. Animati hocce Regis edicto adversarii Protestantium, tanto acerbius Nostrates vexarunt, quod inter alios Martinus Petheö (Pethe), Episcopus Jaurinensis, Praepositus Scepusiensis et Locumtenens Regius, atque Comes Christophorus Thurzo fecere, qui postquam Eperiessienses, Cibinienses et Kesmarkienses varie lacessivissent, Leutschoviensibus templa, scholas, omniaque beneficia ecclesiastica d. 8. Oct. an. 1604 adimere adnitebantur. Cum ita et civilia et ecclesiastica Hungarorum jura convelli animadvertisset Stephanus Botskay, Transsylvaniae princeps, vi vim opponere constituit. Enimvero vix molimina haecce Principis, Comiti Belgiojoso innotuerunt, hic satius ducens praevenire quam praeveniri, Botskayum adgreditur, eique duas arces Szent-Jobb et Szent-Kereki eripit. Hac ratione ad iram provocatus princeps, pertractis ad suas partes Hajdonibus, ad Dioszeginum die 14. Oct. 1604 pedites germanicos fundit fugatque, urbi Cassoviae jam d. 30. Octobr. praesidia sua infert, brevique temporis spatio universam propemodum Hungariam obsidet. Rudolphus panico terrore perculsus tandem in subscribendas d. 23. Junii 1606 Vindobonae pacis conditiones consentit. Palmarium pacificationis hujus, quae intercedente Georgio Thurzo, seriori tempore Regni Hungariae Palatino, conciliata fuit, punctum erat, ut abrogato Articulo XXII. Comitiorum Posoniensium anni 1604, extra Comitia Nostratibus insciis, solius regis, et qui ejus erant partium, auctoritate, condito, quo religionis negotium a Comitiorum deliberationi-

bus removebatur et vetera decreta de Evangelicis Statibus, tanquam hominibus inquietis, turbulentis et novatoribus in exsilium ejiciendis igneve delendis resumebantur: salvis religionis Romano-Catholicae Juribus ac Beneficiis omnibus Statibus et Ordinibus atque Regni Incolis, intra ambitum Regni, liber sacrorum usus ita admittatur, ut eos in religione profitenda et exercenda nusquam et nunquam, neque rex turbet, neque per alios turbari aut impediri sinat, praeterea Templa per vim atque tumultum utrinque ablata, reddantur. Obtinuit Sanctio haec legis auctoritatem in Comitiis Posonii anno 1608 celebratis, in quibus prius quam Matthias II. in Regem inauguraretur, Articulo I. decretum fuit, ut religionis exercitium tam Baronibus, Magnatibus et Nobilibus, quam etiam Liberis Civitatibus ac Universis Statibus et Ordinibus Regni, in suis ac Fisci bonis, item in Confiniis quoque Regni Hungariae militibus Hungaris sua cuique religio et confessio, nec non Oppidis et villis eam sponte ac libere acceptare volentibus, ubique libera relinquatur, nec quisquam omnium in libero ejusdem usu ac exercitio a quoquam impediatur. Quin imo ad praecavenda inter status et Ordines aliqua odia et dissensiones, ut quaelibet religio suae professionis Superiores seu Superintendentes habeat, statutum est. Hoc pacto Nostrates a Jurisdictione Episcoporum Romano-Catholicorum exemti exstiterunt.

Stabilito ita auctoritate publica libero et publico religionis Evangelicae in Hungaria exercitio, Comes Georgius Thurzo, Regni Hungariae Palatinus, anno 1610 a die 28. ad 31. Martii *Solnae Synodum* celebravit, in qua Articulis XVI. Ordo ecclesiasticus constitutus, Superintendentum, Seniorum, Decanorum, Ministrorum Officia Juraque finita, multa qua disciplinam ecclesiasticam praeclare fac-

runt sancita, tresque Superintendentes, decem Comitatibus Cis-Danubianis praeficiendi, quibus totidem Inspectores sacri (non civilis) ordinis, maxime Ecclesiarum Germanicarum et Hungaricarum gratia addebantur, erant electi, ad partes rite obeundas jurejurando adstricti, atque ritu Vitebergensi, impositis manibus, in delegato officio confirmati. Unus eorum fuit Elias Lany, Ecclesiae Moschoviensis Pastor, cui ecclesiarum Arvensium, Liptoviensium et Trenchiniensium cura fuit commissa. Alter Samuel Melikius, Ecclesiae Briznensis Pastor, a cujus moderatione Ecclesiae Thurocenses, Zolienses, Honthenses et Neogradenses penderent. Tertius, Isacus Abrahamides (Hrochotius) Bajmocensis Praepositus, qui coetuum sacrorum in Comitatu Posoniensi, Nitriensi et Barchiensi obviorum, tutelam et patronium susciperet. Attamen malevolus Catholicorum in Nostrates animus, Clerique licentia sanctas regni leges spernendi, terminata Synodo Solnensi mox eo sese prodidit, quod Archi-Episcopus Strigoniensis, Cardinalis Franciscus Forgáchius, Actis et Decretis illius Synodi solenniter intercesserit, hacque ratione Nostrates ad subtiliter et accurate anno 1612 conscribendam Synodi Solnensis Apologiam provocaverit. — Hucusque procurrit historiae nostrae Periodus prima.

Putasses stabilito legis auctoritate publico religionis exercitio, adversariis Nostratium, eos vexandi, premendi et excruciandi omnem praeclusam fuisse viam. Enimvero ab eo inde tempore, in dies deterior evasit Ecclesiae Evangelicae in Hungaria conditio.

Initio hujus periodi quidem fortuna ecclesiae hujus nondum prorsus in discrimen vocabatur. Habebant enim Nostrates, cum alios innumeros salutis suae fontes, tum maxime in Palatinis Stephano Illyésházy d. 17. Nov. 1608

electo, Georgio Thurzo Proregis muneri anno 1610 admoto, ineunte Februario an. 1617 mortuo, et Stanislao Thurzo, iisdem honoribus in Comitiis Sopronienssibus an. 1622 condecorato, anno 1625 e vivis sublato, fulcra non infirma et praesidia. Palatini hi conservabant et dilatabant Nostratium Jura, Privilegia et Immunitates, obstabant noxiis adversariorum molitionibus, tuebantur Evangelicos contra injurias oppressorum, adjuvabant eorum studium res suas in tuto collocandi firmandique. Immortalia sunt hac in re potissimum Georgii Thurzo merita. Ille enim — ut rem uno alterove testimonio comprobemus — Diplomate anni 1610 Legatis Evangelicorum Scepusiensem et Sarossiensem Comitatus incolentium d. 6. Aug. Cassoviae concesso, de libero sacrorum Evangelicorum usu cavit. Superintendentes creari permisit, et privilegia maxime Viginti Quatuor Regalium Pastorum in Scepusio, ad Testamenta, Decimas et reditus Parochiales pertinentia, confirmavit. Ille Gömoriensi etiam Contubernio Diplomate 10. Julii an. 1610 potestatem fecit renunciandi Superintendentem. Ille sacri et civilis ordinis Viros Evangelicos, Comitatum Scepusiensem et Sárossiensem inhabitantes, permovit ad celebrandam die 22. et sqq. Jan. an. 1614 Varalii Synodum, in qua plures Canones Synodi Solnensis adoptati, alii nonnihil immutati, immo et novi conditi, duoque Superintendentes, M. Petrus Zablerus Leutschoviensis et M. Stephanus Xylander Váráliensis, Ecclesiae Pastores lecti fuere, ille quidem Quinque Lib. Reg. Civitatum Superioris Hungariae coetus sacros, hic reliquas per Com. Scepusiensem et Sarossiensem diffusas Ecclesias, recturus. Idem Thurzo Diplomate minori d. 24. Febr. an. 1614 edito, provinciam Zablero delatam ratam habuit, jusque Quinque Liberarum Civitatum et Oppidi Nagy-Sáros in posterum quoque proprium constituendi Superintendentem, roboravit. Ille Acta Synodi Váráliensis Diplomate majori Bitschae d. 28. Martii 1614 confecto, probavit. Ille exagitatos Tre-

decim oppidanos Pastores in Scepusio, contra violentos insectatores Polonos viriliter defendit.

Interim omnes hi conatus laude dignissimi, statum Ecclesiae Evangelicae in Hungaria extra ictum collocare nequiverunt. Multum detrimenti res illius passa est infausta civium ejus in duas familias disjunctione, quarum altera doctrinae a Luthero instauratae adhaerebat; altera Helveticam confessionem amplectebatur. Praeparatum et consummatum fuit discidium hoc Augustanae Confessioni Addictorum ab iis, qui Helveticam Confessionem probabant, potissimum in Synodis, quarum praecipuae sunt: Beregszaszensis et Cibiniensis in Transsylvania anni 1558; Ovarensis an. 1554; Günczensis an. 1566, in qua arbitrorum plurimi Confessioni Genevensi et Catechismo Calvini subscripserunt; Tarczalensis an. 1562, quae rejecta Aug. Confessione, usuque panis azymi sublato, dogma absoluti decreti probavit; Tordensis an. 1563; Debrecinensis d. 24. Febr. 1567, quae Helveticae Confessioni Tigurensi summam in religione profitenda auctoritatem tribuit; Czengerensis an. 1570, quae separationi Ecclesiae Reformatae ab Ecclesia Augustano-Evangelica suppetias tulit; Herczeg-Szölössensis (in Comitatu Baraniensi) an. 1576, quae idem institutum juvit. — Praeterea favebant digressioni illi Evangelicorum in duas familias Synodi, in Civitatibus Liberis Regiisque Superioris Hungariae celebratae, in quibus semper Augustana Confessio et huic conformis Confessio domestica praelegebatur, dogmata vero Sacramentariorum, Zwinglianorum et Calvinianorum repudiabantur damnabanturque. Perfecit opus hoc Synodus Csepreghensis anno 1591 mense Junio ineunte habita, in qua post institutum Severinum Scultetium, Pastorem Bartphensem, inter et Stephanum Böyte, Pastorem Németh-Ujvarensem et Ecclesiarum circa Arabonem fluvium Superintendentem, Colloquium de coena Domini, Pastores qui formulae Concordiae nomen subnotare tergiversabantur, à Pastoribus

Lutheri scita probantibus, pro fratribus agniti non sunt. Synodus haec proprie Ecclesiae Reformatae in Hungaria natales dedit. Ab eo enim tempore Reformati, qui adhuc sinu Evangelicae Ecclesiae foti, poenas in Sacramentarios, id est Zwinglii et Calvini sectatores statutas evitarunt, peculiarem constituerunt societatem Ecclesiasticam. Hiatum ita inter utramque Ecclesiam, non sine ingenti utriusque damno invectum, stabiliverunt Synodi Solnensis anni 1610 Articulo XII. et Váraliensis anni 1614 Articulo VII.

Ceterum quamvis vis unita fortius agit, divisa hosti facilius succumbit: tamen dissociatione hacce nondum sese jugulassent Evangelici Hungari, nisi in Pontificiis infestissimos adversarios et capitales hostes habuissent. Non quidem uno quasi ictu prostrari poterat Ecclesia Evangelica, arbori quae et procera evasit et altos egit radices simillima; attamen adversarii non peregrini erant in arte, sensim omnes ei praecidendi nervos. Studium quippe Nostratium res suas in tuto collocandi firmandique, atque usus variorum commodorum iisdem pervius tantopere Pontificiorum commoverunt invidiam, ut omnia summa facerent ad stragem inter nos — interdum justo magis securos, neque suspiciosos — serius ocius edendam.

Infensus hicce nobis Romano-Catholicorum animus, jam tempestate Synodi Váraliensis eo sese manifestavit, quod statim in ejus principio duo Canonici Capituli Scepusiensis, auctoritati Synodi, Capitulo non salutato coactae, intercesserint et quod idem Cardinalis Franciscus Forgáchius, qui sese Synodo Solnensi opposuit, Capitaneum Tredecim Oppidorum Scepusiensium Principem Stanislaum Lubomirski instigaverit, ad Acta et Facta Synodi Váraliensis irrita pronunciánda. Accedit quod vafri et subdoli Patres e Societate Jesu, Primorum Evangelicorum non paucos — alios quidem non accurate et penitus placitis Ecclesiae Evangelicae imbutos, alios vero munerum et dignitatum consequendarum cupidine incensos, ad sacra Evangelica

abjuranda et post Evangelicos acerbissime affligendos, infensissimeque exagitandos permoverint; qua in re, praeter multos alios, potissimum Nicolaus Eszterházy anno 1625 Palatinus creatus eminebat. Iidem Loyolitae, omnem operam in ingenio juventae Catholicae, illustri loco natae, quam optime exercitando formandoque ponebant, quo Ecclesiae Romanae copiam pararent virorum ad magistratus gerendos idoneorum, nec Reges necessum haberent Nostrates muneribus admovere. Universus autem Clerus Romano-Catholicus in eo desudabat, quo Reges Hungariae induceret ad consentiendum in leges, majorum auctoritate et Procerum consensu latas confirmatasque, obliterandas, et diplomata jurejurando stabilita violanda. Quod vero Reges neglexere, id Clerus ipse cumulate pensavit. Etenim haereticis fidem non esse habendam ratus, eo audaciae et temeritatis processit, ut clarissimas leges nobis patrocinantes ad arbitrium convelleret, earum sensum nefarie detorqueret, sinistreque interpretaretur, Mandata Regia in favorem Nostratium confecta, ne promulgarentur caveret, promulgata vero sperneret et arroganter violaret, Territorii dominos ad rusticos sacris Evangelicis addictos impie affligendos concitaret. Quare domus Parochiales, Templaque et Scholae jam impune rapiebantur, Pastores sine omni verecundia sedibus suis omnibusque fortunis exturbabantur, Nostratibus in consequendis muneribus difficultates offerebantur, miser populus gravissimis poenis intentatis imo et acerbissimis suppliciis de eo sumtis, ad deserenda sacra Evangelica compellebatur. Respirabant Nostrates ab oppressionis metu nonnisi tum, si vel exteri Principes, vel seditiosi Hungariae Primores ad desperationem adducti, armati iis suppetias tulerunt, labefactataque eorum jura et libertatis repararunt. In angustias enim adducti reges non modo in omnia, quae rogati concedere recusarunt, consentiebant, sed etiam profusi esse solebant in largissimis pollicitationibus, quibus Nostrates credulos

et imprudentes fascinabant. Eos tamen nunquam candide nobiscum egisse, neque ingenue nobis consultum cupivisse, eo evidenter demonstrarunt, quod seditione sopita non solum priorum temporum calamitatem recrudescere permiserint, verum etiam novas malignas artes ad Nostrates, si fieri posset, prorsus exstirpandos delendosque adhiberi passi fuerint. Haec fuit rerum facies integro seculo XVII. et XVIII. principio, quamdiu nimirum Ferdinandus II., Ferdinandus III. et Leopoldus I., Regni fasces tenebant. Juvabit tamen rem secundum temporum ordinem exponere.

A Ferdinando II. Ingolstadii per Jesuitas educato, iis semper circumdato, ab iisque illecto, ut jam vicesimum aetatis annum agens, sese coram Maria Lorettana solemni voto obligaret, ad Protestantes, si rerum summa potiretur, in omnibus hereditariis provinciis, etiamsi in capitis fortunarumque periculum veniret, exstinguendos: nihil sibi boni polliceri poterant cives Evangelici in Hungaria. Nihilominus tamen per Petri Pázmánni, — qui ejurata Helvetica Confessione ordini Jesuitarum adscriptus, postremo ad Archi-Episcopi Strigoniensis et Cardinalis adeo honores fuit provectus — hominis mirum quantum subdoli et callidi, atque Forgáchii, Curiae Regiae Judicis blandas liberalesque promissiones moti, in principem hunc in Regem eligendum consensere. Sed quam immature fecerint judicio, mox compererunt. Nam obligavit sese quidem Ferdinandus II. prius quam anno 1619 corona redimeretur officio, puncta Pacificationis Viennensis, integre servandi religionisque exercitium non solis Regni Ordinibus; verum Oppidis quoque Villis et militibus liberum concedendi: sed quod sancte jurejurando promiserat Rex, nequaquam praestitit. Hungaros enim Evangelicos, urgente Clero, cujus consiliorum fidus administer erat, tantopere divexabat, divexarique permittebat, ut illi e praesentissimo periculo non aliter, quam vocato anno 1620 in auxilium Gabriele Bethlen, Transsylvaniae Principe, evadere se posse

crederent. Bethlen postquam identidem collatis signis, Caesareos superasset, Ferdinando auctor exstitit, ad pacem anno 1621 Nicolsburgi his inter alia conditionibus ineundam: ut Pacificationi Viennensi, atque Articulis Comitiorum anni 1608 et 1609 convenienter, Augustanae et Helveticae Confessioni Addictis liber sacrorum usus, porro concederetur. Confirmatum fuit hocce Pacificationis punctum, in Comitiis anno 1622 Sopronii celebratis. Enimvero vix Bethlenio liberatus fuit Ferdinandus, jam promissi summam complere neglexit. Provocatus hac ratione Bethlenius ad iram, iterum copias suas Hungariae infudit, Regemque Ferdinandum anno 1624 ad rata facienda puncta pacificationis Nicolsburgensis adegit. Sed Regi, Jesuitarum fraudibus obcaecato, nunquam serius fuit animus, exsolvendi promissum. Quamdiu namque vixit (ad annum 1637) fidem Evangelicis datam frangere nunquam dubitavit. Habebat vero in excrutiandis Evangelicis fidum adjutorem Petrum Pázmannum, Archi-Episcopum Strigoniensem, cujus ante fecimus mentionem, hominem in quem jure illud poëta transferri potest:

Asperius nihil est, quam turpis Apostata, primi
Ordinis et semper carnificina sui.

Pázmannus enim in modis Nostrates, Romanae Ecclesiae deviinciendi inexhaustus, non modo infinitam populi copiam ecclesiae Romano-Catholicae conciliavit; verum et amplius quinquaginta familias illustres Evangelicas in illius Ecclesiae sinum reduxit.

Terminus vitae Ferdinandi II. nequaquam contentionibus, quae religionis causa invaluerant, modum imposuit. Etenim Ferdinandus III., quem Hungaria ab anno 1637 ad 1657 venerabatur Regem, Jura quidem Evangelicorum publicis Diplomatibus et jurejurando probavit: sed Clero vi et dolo adversus Nostrates grassanti, et nonnullis Proceribus eosdem affiictantibus, resistere intermisit. Indul-

gentia haec Regis malevolos animavit ad Nostrates aperte jam laedendos. Successerat scilicet Ferdinando Secundo, ut vidimus, Archi-Episcopi Strigoniensis Cardinalis Petri Pázmanni ope adjuto, complures non Primores solum regni, sed et Civitatum, Oppidorum Vicorumque incolas, ad sacra Ecclesiae Romanae et pellicere et adigére. Alienati Primores ut homines sibi subjectos tanto facilius Ecclesiae Romanae devincirent, dimissis vel ejectis Protestantium Pastoribus, Catholicos pro iisdem substituebant Parochos. Exasperati propterea Protestantes in Comitiis, Pisonii an. 1637 celebratis, poscebant, ut missis aliis negotiis, eorum querimoniae ante omnia audiantur, examinentur atque damna iis illata — reddendo templa scholasque, et revocando sacrorum Ministros abactos — resarciantur. Sed cum causa haec non videretur in Comitiis rite cognosci, inquiri, dijudicari posse: Ferdinandus III. petitoribus promisit, se eorum querelas finitis Comitiis examinari curaturum, atque injuria affectis ex aequo satisfacturum. Enimvero non praestitit, quod pollicitus fuerat Rex. Nam et Catholicos, neglectis Evangelicis summis admovebat magistratibus, et territorii Dominis, aperte Nostratibus templa eripientibus, miserum populum gravissimas minas ei incutiendo ad sacra Romano-Catholica traducentibus, atque Ministros Evangelicos exauctorantibus, tantopere connivebat, ut Evangelici tercentorum adeo templorum deplorare debuerint jacturam. Injuriam hancce cum Rex, identidem suppliciter rogatus, propulsare nollet, Nostrates sese anno 1644 in fidem et clientelam Georgii Rákoczy, Transsylvaniae principis, contulerunt. Rákoczy calamitosa sorte Supplicantium motus, Hungariam invasit, atque brevi temporis intervallo universa ejus parte Superiori Posonium usque nullo negotio potitus fuit. Territus Rex ad pacem faciendam consensit, quae Lincii d. 16. Sept. 1645 hisce coaluit conditionibus: ut confirmatis decretis, prioribus temporibus religionis causa latis, maxime Articulo primo Comitiorum anni 1608, Evan-

gelici Aug. et Helv. Confessioni Addicti — non obstantibus quibusvis interpretationibus — libero templorum, campanarum et sepulturae usu gaudeant; Rustici in religione profitenda et exercenda, neque per principem, neque per amicos regis et proceres aulicos, neque per territorii dominos turbentur, turbati vero liberum sacrorum usum resumant et continuent; Evangelici omnino — igitur opifices quoque et mechanici — a servandis caerimoniis eorum religioni contrariis immunes maneant; Ministri Acatholici a stationibus suis per neminem removeantur, remoti locis suis restituantur, vel alii pro iis substituantur; templa tempestate motuum occupata, pristinis dominis reddantur, deinceps vero nullae aedes adimantur, reditus Ecclesiastici iis cedant, a quibus templa possidentur, violatores publicorum, ratione religionis conditorum decretorum puniantur; Evangelicis liberum sit ad filialem Ecclesiam, religionis suae Ministrum inducere alereque, vel pietatis causa alio sese conferre; omnes Acatholicorum querimoniae in proximis regni comitiis examinentur et componantur etc. Momenta haecce in Comitiis anno 1647 celebratis probata, Nostratibus e numero templorum iis ereptorum 90 adjudicata, mutua templorum, scholarum et redituum occupatio, posthac severis sub poenis vetita, ut iis in locis in quibus adempta Evangelicis templa iis restituta non sunt, iis templa, parochias et scholas aedificandi potestas tribuatur fundique hanc in rem necessarii gratuito adsignentur, dispositum, Status Evangelici omnibus solutionibus Sacerdotibus Romano-Catholicis praestandis exemti, statutumque erat, ut cujusvis ecclesiae cives, cum solutiones quasvis, tum maxime stolares reditus, suae Ecclesiae Curionibus dissolvant.

Liberaliter quidem haec fuerunt promissa, sed Regem fallacia Cleri circumventum, mox promissorum oblivio cepit. Ex nonaginta illis templis, quae Nostratibus reddi debuissent, plura vel prorsus fuere negata, vel brevi temporis intervallo denuo erepta. In universum autem Ferdi-

nandus III. insignis fuit meritorum, quae Ferdinandus II. cum summa Evangelicorum injuria, sibi de Ecclesia Romano-Catholica paraverat, aemulus.

Leopoldus I., qui ab anno 1655—1705 regia fuit potestate, non modo majorum persequebatur vestigia, sed eos etiam capitali in Protestantes odio longe superavit. Aliter agere vix poterat princeps, cui initio non corona sed infula fuit destinata. Nisi enim Ferdinandus IV. praematura morte fuisset exstinctus, Leopoldus, si adolevisset, sacri ordinis gesturus erat insignia. Quare cum juvenis iis artibus et disciplinis imbueretur, quarum necessitatem Episcopus, — quem necessario omnium a sacris Romanis alienorum infensum esse oportet hostem — erat habiturus: neminem mirum habebit, eum ferali in Evangelicos odio, haud ulli fuisse secundum. Accedit, quod temporum decursu tantopere Cleri increverit potentia, ut Leopoldo dominante nulla propemodum in rebus ad religionem et ecclesiam pertinentibus Regis et Legis esset auctoritas, omniaque fere gererentur Cleri, jura humana et divina juxta temnentis et violantis nutu, consilio arbitratu. Quam susque deque habita fuerit regia majestas, si Cleri moliminibus non obsecundabat, vel ex verbis liquet, in quae Cardinalis Leopoldus a Kolonits, Episcopus Neostadiensis, serius Archi-Episcopus Strigoniensis erupit, cum relatum accepisset, Regem in Ministros Evangelicos anno 1674 Posonium in jus vocatos impunite dimittendos inclinare. Ita enim fatus est: „Si Caesar millies quidpiam in Praedicantium favorem decreverit, ego millies jussa ejus immutabo.“ Pari ratione legis reverentia omnis exsulavit, Clerusque hanc in agendo nobiscum secutus fuisse videtur normam. „Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione inveteratum odium in Lutheri servos, Sacerdotum Catholicorum avaritiae et dominandi libidinis inimicos; ense, rota, ponto, funibus, igne necandos.“ Quare rarus fuit, qui sibi religioni duxisset, Evangelicis rapaci violentaque manu templa adimere, atque Protes tantes omni-

bus torminibus adhibitis, ad nomen ritui Romano dandum adigere. Certe Comes Franciscus Nádasdy, qui desertis sacris Evangelicis Nostratibus 40 templa Cis- et Trans-Danubium eripuit atque Ministros Evangelicos sedibus eorum ejecit, non caruit imitatoribus. Georgius vero Szeleptsény, Archi-Episcopus Strigoniensis, in summa laude ponebat, quod quatuor annorum intervallo amplius 60,000 Protestantium in gremium Ecclesiae Romano-Catholicae reduxerit.

Fiebant haec omnia permittente atque mox aperte, mox tacite probante Leopoldo, quamvis hic non prius solemni ritu anno 1655 in Regem inauguratus fuerit, quam easdem conditiones, quibus pater et avus obstricti fuere, se observaturum jurejurando interposito spopondisset, atque Articulum I. Comitiorum anni 1608 et Puncta Pacificationis Lincensis, Diplomate a. 1659 confirmasset. Multum quidem ad cruciatus, quibus Protestantes Leopoldo ad clavum sedente exagitabantur, ipsi eorum Primores eo contulerunt, quod an. 1662 praepropere Comitia deseruerint. Poscebant quippe Status et Ordines Evangelici, in Comitiis his praesentes, ut publicarum consultationum a negotio religionis initium fiat. Sed cum Catholica Statuum et Ordinum pars primum de aliis causis deliberationem haberi desideraret, Nostrates Actis Comitiorum solemniter intercedentes, a Conventu Ordinum regni recesserunt. Factum hocce inconsideratum, rei Evangelicae in patria nostra, summopere noxium exstitit. Aperuit enim Szelepchényo, Kolonitsio aliisque hujus farinae hominibus, amplum campum de Nostratibus opprimendis consultandi, atque adversus eos, quaecunque exitiosa videbantur, statuendi.

Maxime opportunam et dudum exoptatam Evangelicos in Hungaria exstinguendi occasionem, nactus fuit Clerus, detecta anno 1669 nonnullorum Primorum regni, in Leopoldi caput conjuratione. Casu enim hocce ita usus est, ut suspicaci et credulo Regi persuaderet, non solum Pro-

ceres Evangelicos, sed etiam imbelles innocentesque Ministros, contra eum conspirasse, cum tamen certum et a scriptoribus rerum Hungaricarum Catholicis quoque, Thurzio Palma etc. agnitum sit, capita conjurationis hujus omnia, sacris Romanis fuisse addicta. His calumniis effecit Clerus, ut Leopoldus non solum adversariis Nostratium veniam concederet, iis templa eripiendi, sed eum quoque permoveret, ad constituendum *Judicium delegatum*, ad quod Ministri Evangelici perduellionis causam reddituri, citarentur. Ceterum adversariorum consilium nequaquam fuisse, punire rebelles, sed exstirpare Protestantes, vel inde patet, quod prius quam Pastoribus lis inferretur, jam in multis praecipuis regni Urbibus, oppidisque Nostratium templa vi fuerint occupata, deinde quod nulli Catholici quamvis eorum plures conspirationis suspicione non vacabant, in judicium fuerint vocati; tum quod illi Ministrorum, qui vel a sacris Evangelicis defecerunt, vel sua sponte exsilium adierunt, vel munus sacrum ejurarunt, non modo impunes dimissi in regnoque tolerati, verum multi etiam muneribus et dignitatibus ornati fuerint.

Arcessebantur vero Ministri Protestantium in Judicium hocce ter.

Primum enim Posonienses mense Majo anni 1672 Tyrnaviam citati immerito mortis condemnabantur.

Deinde tres Superintendentes, cum Senioribus et quibusdam Pastoribus Comitatuum Zoliensis, Thurociensis, et Liptoviensis mense Septembri anni 1673 Posonii, praeside Georgio Szeleptsény, Archi-Episcopo Strigoniensi et Locumtenente regio; adsidentibus a dextris quidem, Georgio Szécsényi Archi-Episcopo Colotsensi et Episcopo Jaurinensi, Leopoldo Kolonits Comite, Camerae Hungaricae Praeside et Episcopo Neostadiensi, Stephano Klubossoczky, Episcopo Quinque-Ecclesiensi, Petro Korompai Episcopo et Abbate S. Petri, ac Pauli de Kach, Stephano Balog, Capitulari Tyrnaviensi, Joanne Lapsansky, Secretario Regiae

Tabulae, Francisco Nagy nobili Hungaro; a sinistris vero Adamo Forgács Comite Hungariae et Judice Curiae, Georgio Illyésházy, Comite, Assessore Regiae Tabulae, Stephano Szécsy, Comite, Assessore Camerae et Coronae Custode, Joanne Maythini Personali, Valentino Balassa L. Barone, Valentino Szente, Vice-Locumtenente, Stephano Morocz, Vice-Judice Curiae et Vice-Comite Posoniensi, Paulo Mednyansky, Proto-Notario Locumtenentis, Paulo Orban Proto-Notario Personalis Praesentiae; Georgio Tersnyansky, Proto-Notario Personalis, Nicolao Maylath, Fisco Regio et Directore Causarum Regalium — judicabantur. Qui aderant Pastores criminis laesae Majestatis rei pronunciati, Apocha cavere jubebantur, quod si in regno manere velint, muneri sacro prorsus renunciaturi, cum seditiosis nullum commercium foturi et comperta tumultum moventium molimina e vestigio indicaturi, sin extorres esse malent, quatuordecim dierum intervallo cum rebus, supellectili et familia finibus excessuri sunt. Prioris generis Apochis plures, posterioris pauci, principes tamen, nomina subnotarunt.

Postremo omnes tam Augustanae, quam Helveticae Confessioni Addicti Pastores, Rectores, Collegae et Cantores aeque Posonium in diem quintam Martii an. 1674 sese sistere jubebantur. Intererant Judicio huic praeter Georgium Szelepcsény, Praesidem; Judices tres supra viginti, quorum alii ad dextram alii ad laevam consederunt. A dextra habebat Praeses: Georgium Szécsény, Thomam Pálfy, Comitem, Cancellarium et Episcopum Nitriensem, Leopoldum Kolonics, Stephanum Senei, Episcopum Vesprimensem, Stephanum Klubossoczky, Stephanum Balog, Joannem Lapsansky, Melchiorem Kerekessy, Vice-Comitem Mossoniensis C. Tabulae Regiae Assessorem; Michaëlem Vally, Notarium Capituli Strigoniensis; Georgium Török, Tabulae Regiae Assessorem. A sinistra occuparunt loca: Adamus Forgács, Nicolaus Pálfy, Comes, Custos Coronae, Joannes Antonius Pálfy, Comes, Assessor Regiae

Tabulae, Stephanus Szécsy, Georgius Erdödy, Comes, Assessor Tabulae Regiae, N. Abbas S. Martini, Valentinus Szente, Stephanus Morocz, Joannes Mednyansky, Andreas Posty, Proto-Notarius Judicis Curiae, Georgius Tersnyansky, Nicolaus Maylath, Paulus Orban.

Hi erant Actores, Quaesitores et Judices Pastorum; omnes Romano-Catholici, unum idemque cornu inflantes. In eos qui non comparuerunt, Judices hi, proscriptionis tulerunt sententiam. Qui autem advenerunt, — erat vero eorum numerus 400, quamquam adversarii nonnisi 250 fuisse contendant — adversus hos actio fuit instituta. Accusationis puncta praeter innumera alia, haec gravissima fuerunt: quod neglecto dei timore et posthabita majestatis auctoritate, Sanctos non honoraverint; quod b. Virginem Mariam despexerint et foedis uxoribus suis comparaverint; quod Sacramentum et venerabili corpus Christi pedibus conculcaverint; quod seditionis publicae auctores exstiterint, et auditores suos ad rebellionem concitando in crimen laesae majestatis incurrerint. Quare poscebat causidicus Regis ut ob perduellionis crimen, sceleris socii publicatione bonorum et capitis supplicio afficiant, reliquorum vero delictorum rei, amputatis manibus pedibusque, vivi comburantur. Perduellionis crimen adversarii literis manifesto suppositiciis, Stephani Wittnyedy de Musaj, ad Nicolaum Bethlen mense Majo an. 1669, aliis item ad Ambrosium Keczer, aulae Tökölianae familiarem, eodem anno die 30. Decembris Posonio datis confirmare nitebantur. Quamvis autem maleficia, quorum insimulabantur Pastores, nullis fuerint demonstrata argumentis, quamvis Wittnyedy et Keczer vix ulli Pastorum, vel nomine fuerint noti, quamvis porro compilator literarum, quae Wittnyedio tribuebantur auctori, Pontificium se fuisse eo prodiderit, quod Ministros Evangelicos Praedicantes vocet, quo nomine Nostratibus nunquam solemne fuit Mystas suos insignire, quamvis denique ipsae leges patriae, unius hominis testimonio

quempiam condemnari vetent: tamen quoniam interritus eorum fuit condictus criminis laesae majestatis rei sunt pronunciati. Ut tales sese confiterentur, atque gratiae Regiae submitterent, Judices magnopere urgebant. Sed cum Pastores moveri non possent, ut falso sibi notam, qua vacabant, inurerent, duo eis Apocharum (Reversalium) exemplaria proponebantur, aliud quidem ab his subscribendum, qui in regno manere vellent, aliud ab iis subnotandum, qui in exsilium ejici mallent. Utrique Stipulationum scriptarum generi, hoc commune fuit, quod qui eas subsignarent, perduellionis reos poenaque dignos sese confitebantur. Ceterum aliae leges iis scribebantur, qui patriam deserere mallent, aliud ab iis poscebatur, qui exsilium praeferrent. Priores sese officio obligare jubebantur, munus sacrum ejurandi, regi fidem servandi et comperta adversariorum molimina, patefaciendi. Posterioribus literae liberi commeatus, nonnisi ea sub conditione offerebantur, si sponderent, quod quindecim dierum intervallo, regno cum familia et impedimentis ita excedere velint, ut nunquam amplius revertantur. Non defuerunt qui, quamvis nullius culpae sibi conscii, vel prioris vel posterioris ordinis Apochas subscriberent, quo graviorem poenam subterfugerent. Tercenti tamen propemodum innocentiae suae confisi et hac de causa sui liberationem sperantes, nec rationem videntes, ob quam sese ministerio abdicarent, atque ita tacite in templorum rapinam consentirent, nullis precibus nullisque terriculis ad nomen Apochis subnotandum induci poterant. Enimvero nimium eos a justitia et aequitate Judicum, sibi pollicitos fuisse eventus docuit. Quod namque Cognitores, qui pro gloria Dei se propugnare simulabant, a studio suum cuique tribuendi longe fuerunt alieni, eo comprobarunt, quod quos ad subnotandas Apochas perducere non poterant Ministros die quarta, Rectores vero die sexta Aprilis anno 1674 capitis damnaverint. Promulgata hacce sententia, condemnati

aliquamdiu Posonii detenti, moram obtinuerint Apochis nomina subnotandi; quod quia non fecerunt, die vicesima Maji, quatuor Reformati Pastores et unus vir Evangelicis sacris addictus (M. Georgius Lani, Scholae Carponensis Rector) reliquorum terrendorum causa, compedibus vincti, ad arcem Posoniensem abducebantur. Cum vero neque severitas haec optatum eventum produceret, Evangelici a Helveticae Confessioni Addictis separati, per Leopoldopolenses (30), Comaromienses (20), Berentsenses (5), Everhardenses (6), Sárvarenses (7) et Kapuvárenses (7) carceres, in quibus infra conditionem sceleratissimorum hominum et execrabilium maleficorum exagitabantur, sunt distributi. Etenim laboribus durissimis et sordidissimis onerabantur, victu tenui et exili alebantur, ab amicorum alloquio arcebantur, stipem vel quaevis alia beneficia acceptare prohibebantur, baculis et fustibus caedebantur, frigore, fame, siti aliisque exquisitissimis suppliciis, quae vel commemorare animus horret, macerabantur discruciabanturque. Afflictationibus hisce moti, viginti sex captivi in carceribus Hungariae, a fide Evangelica defecerunt. Reliquorum, a quibus id obtineri non poterat, pars, mense Martio anni 1675 per fines Moraviae, Austriae, Styriae et Carnioliae versus mare Adriaticum ad triremes abducebantur, pars mense Junio anno 1675 Tergestum Buccarimque et ultra deportabantur. Omnes hi in itinere imani barbarie et feritate torquebantur. Plures enim in compedibus ire jubebantur, pecuniis, quas in vestibus habebant reconditas, spoliabantur, Tergesti, quod vestes militares induere nollent, triduo fame premebantur. Quare nihil mirum nonnullos in itinere carnificinis his succubuisse. Quod vero ad reliquos adtinet: Buccarini decem, ejurata religione Evangelica, calamitatis suae lenimen consecuti sunt, pauci fuga se salvarunt, aliqui a hominibus, qui miserorum sorti ingemiscebant redemti, libertati sunt restituti, alii deprecante pro iis Electore Saxoniae, dimissi. Qui supererant

octodecim Helveticae, octo Augustanae Confessioni Addicti, hos Michaël Adrianus Rujter, Classis Hollandicae Admiralis, d. 11. Febr. 1676 manumisit, atque in patriam remigrare sivit. Eorum etiam, qui in exsilium fuerant ejecti plures, in eodem obiere, superstites post Comitia anni 1681 solum natale repetierunt.

Jam iniqua fuit integro decennio, ab anno quippe 1671 — 1681 Nostratium in Hungaria sors, tam misera fortuna ut ipse Regis Cancellarius Hocher, cui Vicarii (Repraesentantes) Nostratium die 24. Jun. 1681 casus Evangelicorum in Hungaria percensebant, commotus exclamaret: „Mirarer patientiam vestram, si decem dierum intervallo tanta mala sustinuissetis, at cum ea decem annis toleraveritis, tolerantiam vestram adtonitus stupeo."

Minuit incommoda haecce aliquantulum annus 1681. Dum nimirum Hungari et civilia et ecclesiastica jura sua convelli viderent: Emericum Tököly in eorum vindicem delegerunt. Hic viginti armatorum millibus, anno 1678 Superiorem Hungariam inundavit, atque Montanas quoque Civitates Caesari eripuit. Quanquam vere Leopoldus initio juvenilem Tökölii ferociam et temeritatem spreverit: tamen cum ejus potentiam indies increscere animadverteret, precibus Hungarorum Comitia efflagitantium cessit, eaque anno 1681 Sopronium convocavit. In Comitiis hisce Articulus I. Comitiorum anni 1608 probatus, decretumque fuit: ut Ministri et Rectores Augustanae et Helveticae Confessioni Addicti, vel regno proscripti, vel Reversalium (Apocharum) fundamento muneribus privati, abrogata Stipulationum illarum vi libere in regnum redire et muneribus pristinis fungi queant, neque fas sit posthac in libero religionis exercitio quempiam turbare; Protestantes ad caerimonias eorum religioni contrarias, observandas non cogantur, templa quae possident, retineant, neque iis amplius priventur, erepta vero ipsis, per illos ipsos aedificata, nondum tamen ritu Romanae Ecclesiae in-

augurata Templa, iisdem reddantur; in iis locis, ubi templorum adest necessitas Evangelicis pro iis struendis, Parochiis Scholisque erigendis, loca commoda adsignentur, qualia *hi vici* suppeditare poterunt: in Comitatu quidem Castriferrei Aug. Conf. Addictis Dömölk et Nemes-Csó, Helveticam vero fidei professionem sequentibus Felsö-Eör; in Comitatu Soproniensi prout et in reliquis solam Aug. Confessionem probantibus, Vadosfalva et Nemes-Kér; in Com. Posoniensi in Rhete et Puszta Födémes; in Nitriensi in Nitra Zerdahely et Sztrzs ad Vagum; in Barchiensi in Simony et Zelezen; in Zoliensi in Ostroluka et Garamszeg; in Thurocensi in Neczpal et Ivankofalva; in Liptoviensi in Hybe et Nagy-Palugya; in Arvensi in F. Kábin et Isztebne; in Trenchiniensi in Szulow et Zay-Ugrocz; in Scepusiensi in Gerghö et Topporcz vel Batisfalva, non obstante quorumvis contradictione; Liberae praeterea Regiaeque Civitates in locis per Commissarios designandis veniam templa erigendi nanciscantur — sepultura atque campanarum usus consociatus maneat, Catholici Acatholicis, hi illis nullis solutionibus sint obstricti Optimates (Magnates) et Nobiles in suis arcibus et sedibus, sacella in usum sacrorum erigendi, eaque dotandi habeant facultatem; Evangelicis integrum sit, Professores et Magistros Scholarum introducere, studia humaniora et altiora in iis tradere, exteras Academias adire, necessarios libros praeter censuram edere, acquirere, regno inferre, in loca quae filialia vocamus religionis suae Ministrum inducere ejusque opera uti, salva denique iis sit potestas, querimonias suas in proximis regni comitiis proponendi. Omnia haec avitas nostras libertates legaliaque Jura in tuto collocassent, nisi infausto casu, vel potius callido Cleri Consilio, sanctioni huic adnexa fuisset clausula: Evangelicis Augustanam et Helveticam Confessionem sequentibus liberum religionis exercitium, „salvo jure dominorum terrestrium“ concedi. Sinistra enim versutaque formulae

hujus interpretatio, amplum Romano-Catholicis Nostrates vexandi aperuit campum. Illi namque innixi territorii Domini Romano-Catholici, rusticos eis obnoxios Evangelicos, in templa Catholica vi compellebant, Pastores et Docentes ejiciebant, Templa inprimis in bonis Illyésházyanis, Battyanyanis, Pálfyanis, Eszterházyanis, Erdödianis, Nostratibus rapiebant et ritu Romano inaugurabant. Quare cum Evangelici viderent Catholicos formula illa tantopere in perniciem eorum abuti, atque praeterea aegre ferrent Jus sacrorum, Articulo primo Comitiorum anni 1608 omnibus et ubique liberum, Articulis Comitiorum Sproniensium anni 1681 ad nonnulla loca Articularia esse restrictum: Articulis XXV. et XXVI. Comitiorum Soproniensium in Comitiis anno 1687 Posonii celebratis, solenniter intercesserunt. Enimvero hocce, jura sua salvandi studio, plus nocuerunt, quam profuerunt saluti Ecclesiae Evangelicae in Hungaria. Rex enim intercessione (protestatione) hacce exacerbatus, solemniter declaravit: quamvis facto hocce Status Evangelici ipsi semet omnibus juribus et beneficiis privaverint: se tamen ex *gratia et clementia* regia decrevisse, Articulum XXV. et XXVI. Comitiorum anni 1681 adhuc ratum habere. Declaratione hacce fundamentum subruendorum omnium nostrorum legalium jurium et antiquandarum libertatum actum est. Ita enim quod *iuris* fuit ad *gratiam* revocatum exstitit, et quod *perenne esse semperque valere* debebat, voce *adhuc*, ad *incertum arbitratui Imperantis reservatum tempus* fuit restrictum.

His subdole praeparatis, inde a Comitiis anni 1687 Catholici multo licentiosius in Nostrates saeviebant, eosque omni vi adhibita suppositiciis adeo mandatis regiis ad sacra Romana traducebant. Iniqua Nostratium fortuna fuit potissimum in locis Non-Articularibus. Ibi Parochi Catholici puerperas Evangelicas, prius quam a sacris suis descivissent introducere, sponsum sponsamque in conjuges inaugurare, mortuos qui ritui Romano nomen non dede-

rent sepelire tergiversabantur, imo sepultos quoque effodere curabant, liberos parentibus invitis rapiebant, religionem Romano-Catholicam amplecti nolentes in vincula conjiciebant, Nostrates a frequentandis templis arcebant, templaque ubi ubi fieri poterat, adimebant.

Neque vero privato solum nomine tantopere exagitabantur Nostrates; ipsius adeo regis auctoritate sanguis eorum copiosissime effundebatur. Nulli scilicet religioni sibi duxerunt adversarii comminisci, nonnullos regni Proceres Evangelicos, rebus novis studere. Quare impetrata a rege potestate permulti eorum Eperiessinum citati, hic ex sententia crudelissimi Commissarii Regii Antonii Karaffae, anno 1687 capitis supplicio afficiebantur. Producti nimirum fuerant ad ferale theatrum Eperiessiense d. 15. Martii Sigismundus Zimmermann, Andreas Keczer, Casparus Rauscher, Franciscus Baranyai. Octiduo post d. 22. Martii necabantur Gabriel Keczer, Martinus Sárossy, Georgius Fleischhacker, Samuel Medvecky, Georgius Schönleben. Die nona Maji denique crudelissima morte mactabantur Simon Feldmayer, Andreas Székely, Georgius Bezegh, Georgius Radvánszky, Fridericus Weber, Joannes Roth, Gabriel Pallastthy, David Feja, Joannes Bertok.

Injuriis tantis Nostrates ad querimonias regi proponendas provocati, nihil obtinuerunt, praeter infaustam diei secundae Aprilis anno 1691 Resolutionem, qua simulate Articulus XXV. et XXVI. anni 1681 explanabantur, re ipsa vero tollebantur et antiquabantur, Nostrates libertatibus legitimis exuebantur et populus arbitrio Dominorum Territorii Catholicorum subjiciebatur. Sunt vero praecipua hujus Resolutionis Leopoldinae puncta haec: „In locis, Comitiorum Articulis pro libero publicoque religionis exercitio expresse denominatis, Acatholici publicum et liberum sacrorum usum habento, ita tamen ne justos limites excedere atque ad loca in Articulis non memorata

ditata et praeparata, vel ut vulgo dicitur methodica et systematica evasit. Status legalis abiit in arbitrarium. Ipsa Rescripta Regum, clarissima eorum benivolentiae in nos monimenta, ipsae leges in regni Comitiis in favorem Nostratium latae, parum nobis opitulabantur. Neque postrema lex religionaria, anno 1791 in regni Comitiis condita satis nos contra injurias tutatur. Nullum enim superest amplius, illius punctum, quod integrum et inviolatum perstaret. Adest quippe Forum, quadam sui parte Hispanico Inquisitionis tribunali non absimile — Excelsum puta Consilium Regium Locumtenentiale Hungaricum, quod saepe Resolutiones et Intimata edit, a legis sententia toto coelo diversa, nobis exitiosa. — Studium Nostratium res suas temporum injuria pessumdatas, reparandi, semper in irritum occidit. Acta enim Synodi, Rosenbergae mense Aprili anno 1707 celebratae, in qua constitutis quatuor dioecesibus, prima in Comitatibus Scepusiensi, Sarossiensi, Zempliniensi, Abaujvarensi, Unghensi, Bereghensi, Ugetsensi, Szattmarensi, Biharensi; altera in Com. Barchensi, Honthensi, Pest, Pilis Soltensi, Neogradensi, Zoliensi, Thurocensi; tertia in Com. Posoniensi, Nitriensi, Trenchiniensi, Liptoviensi, Arvensi, Strigoniensi et Commaromensi; quarta in Com. Gömerensi, Kis Honthensi, Dornensi, Borsodensi, Hevessensi, Szolnokensi: iis Superintendentes ita sunt praefecti, ut primae Jacobus Zablerus, jam praeterea Superintendentis Liberas Reg. Civitatum Superioris Hungariae munere ab anno 1686 fungens, adsignaretur, secundae Ma. Stephanus Pilarik, Schemnicensis, tertiae Daniel Krmann, Solnensis, postremae Andreas Bodovinus Csetnekiensis Ecclesiarum Pastores, omnes hi jam ante Synodum electi, auctoritate publica tribuerentur, praeterea necessaria, ratione formae sacrorum, caerimoniarum, actuum ministerialium, festorum, statuerentur, abusus abrogarentur, Consistoria denique duo, aliud quidem pro partibus Cis-Danubianis, aliud pro Tibiscanis

constitueretur, eorumque Assessores nominarentur — hujus, inquam, Synodi Acta Articulo 31. Comitiorum anni 1715 antiquata sunt. Acta Synodi Pestanae, regia licet auctoritate anno 1791 celebratae, adhuc regiam sanctionem non obtinuerunt. Ratione vero querimoniarum et petitorum nostrorum, quae singulis annis cumulantur, semper bono esse animo jubemur fore, ut ex aequo cognoscantur et judicentur, quin tamen serios apparatus fieri videamus, ad nos curis et sollicitudinibus nostris liberandos. — Sed exponamus casus nostros, secundum temporum ordinem.

Josephus I. qui ab anno 1705 ad 1711 imperium tenebat, et ab arrogantia praescribendi, quid statuendum sit de rebus divinis et ab iniquitate exagitandi eos, qui alia, quam Romana sacra probabant, alienus fuit. Quare eo volente et jubente certe, etiamsi Rákoczyana seditio — quae quamdiu sopita non fuit, Nostratibus multa emolumenta conciliavit, iisque nominatim in recuperandis templis beneficiisque ecclesiasticis vi ereptis auxilium praestitit — non erupisset, nihil adversi Nostratibus accidisset. Quam seria regi fuerit voluntas propulsare a nobis injurias, vel ex edicto diei 12. Decembris anni 1709 patet, quo Augustanae et Helveticae Confessionis Ministros et Praedicantes privata alicujus vi et violentia laedi, Templa, Scholas et Parochias, quas tenent, occupari vetuit; deinde liberum sacrorum usum, ex sententia Articulorum in Soproniensibus et Posoniensibus Comitiis conditorum iisdem servari jussit; tum Templa, Parochias et Scholas, atque instituta, quae pia vocamus contra mentem Articulorum in Comitiis Soproniensibus et Posoniensibus confectorum, ademta reddi, liberum denique religionis Augustanae et Helveticae exercitium, sicubi fuisset impeditum, in pristinum statum et ordinem legitimum, in quo ante tumultus erat, reponi praecepit. Enimvero omnia haec noverat irrita reddere Clerus, qui prout Rákoczyanae copiae recedebant, Nostra-

tibus commoda, quibus jam fuerant potiti, denuo eripuit. Imposuit motibus Rákoczyanis finem pax, quae jam mortuo Josepho d. 20. Maji 1711 hac lege confecta fuit, ut Augustanae et Helv. Conf. Addictis liber sacrorum usus, ex sententia Legum Constitutionum et Articulorum Regni cum beneficiis eo pertinentibus, tam in Hungaria, quam in Transsylvania restituatur. Pacificationem hancce Regina Eleonora et Carolus III. Josephi successor in Comitiis anni 1712 confirmavit.

Josepho regnante Nostrates, ut ante monuimus, mense Aprili anno 1707 Rosenbergae Synodum celebrarunt, ea quae injuria temporum pessumiverant, in integram restituturi et in ordinem, ad posteritatem valiturum, redacturi. Negari nequit in Synodo hacce — quamvis ordo civilis in nonnullis sacro ordini vim intulerit — multa sapienter fuisse instituta. Sed partim quod tempore maximorum tumultuum, Rege inscio, Synodus haec fuerit coacta; partim quod plures viri equestris ordinis, in Synodo hacce praesentes factioni Rákoczyanae adhaeserint: Acta et Decreta Synodi hujus, Articulo XXXI. Comitiorum anni 1715 abrogata irritaque sunt pronunciata.

A Carolo ad gubernacula ab an. 1711 ad 1740 sedente, Nostrates tanto certius laetissima quaeque sibi pollicebantur, quod Rex Compositionem, quam vocant Szattmarensem, probaverit, sancteque promiserit, quod in causa religionis receptas regni consuetudines constitutionesque sustentare, et Acatholicis lege stabilitum sacrorum usum conservare velit. Enimvero Clerus in constringendis Evangelicorum libertatibus, studiose elaborabat, nosque qui pressi innumeras querendi habebamus causas, gravissime praevaricationis accusabat. Dabat quippe Nostratibus crimini, quod religionis suae exercitium tempestate motuum, praeter loca Articularia introductum, contra Regni leges publice continuent, oratoriorum et sacellorum pro Magnatibus et Nobilibus admissorum usum, eo extendant ut

omnis, cui libet fas esse existimet domi suae Ministrum suae Confessionis alere atque eo turmatim confluentes vicinos admittere; jam fere in qualibet domo nobili, publicum sacrorum usum invaluisse, Actus sacros a Praedicantibus, etiam praeter loca Articularia perfici; Ludimagistros in locis Non-Articularibus introduci, in Articularibus vero eorum numerum augeri, Scholas ultra theologica et philosophica studia ampliari multiplicarique, Praedicantes etiam aliena veste occultatos, ad vicinos vicos excurrere; reditus Parochorum Catholicorum a Pastoribus Evangelicis percipi, legata Ecclesiarum Catholicarum ab Acatholicis detineri, festa decretalia violari etc. Quare Rex Rescripto diei 23. April. 1714 Acatholicos commonefecit, ut sese Articulis Comitiorum Soproniensium XXV. et XXVI. anni 1681 atque Posoniensium anni 1687 nec non Resolutionibus Regiis, illos Articulos explanantibus, apprime accommodent, omniaque in eum statum revehant, in quo ante motus fuerunt.

Gravissimam plagam acceperunt Nostrates, in Comitiis anno 1714, 1715 celebratis. Etenim in Comitiis hisce non solum Acta Synodi Rosenbergensis, ut ante notavimus, antiquata, interdictumque fuit, Conventus frequentes (zahlreich) Synodorum, vel alio nomine Rege inscio invitoque celebrare, atque Collectas ullius generis instituere, sed etiam statutum erat, ut Articuli Comitiorum anni 1681 et 1687 in causa religionis lati ex gratia et clementia regia, in genuino eorum sensu hactenus declarato, adhuc conserventur, pro renovatis habeantur, ad effectum adducantur, abusus tollantur, omniaque ad statum articularem secundum explanationes regias reponantur. Sanctio haec, quot verba continet, tot propemodum telis nos vulnerat. Triste est, quod ea, quae Pacificationibus Viennensi, Nicolsburgensi, Lincensi et Szattmarensi, Regiis Diplomatibus et Regni Legibus nobis concessa fuerunt, gratiae et clementiae regiae subjecta exstiterint; tristius, quod Jurium et Libertatum nobis competentium

auctoritas, voce *adhuc* dubia et limitata evaserit, omnium tristissimum, quod Resolutionibus Regiis, quibus Articulos Comitiorum anni 1681 et 1687 convelli antiquarique jam supra docuimus, ipsorum horum Articulorum genuinum sensum declarari edictum fuerit. Praeterea in Comitiis hisce ab adversariis Nostratium alia quoque fraus fuerat commissa. Continebat quippe Articulus XXX., dum sanctione regia confirmatus, publice in Sessione Statuum et Ordinum praelegeretur, haec verba: „regni Leges tres receptas religiones concernentes, confirmari;" deinde territorii Dominos verbis Articuli XXV. Comitiorum anni 1681: „salvo jure Dominorum terrestrium" abuti non debere. Sed utraque clausula haec, dum Articuli in Codicem Legum referentur, malevole et dolose ommissa fuit.

Superavit omnia incommoda haec, acerbitate sua, consilium Regis, Nostratibus in Comitiis hisce patefactum, de querelis eorum, Judicibus extraordinariis (Commissioni) examinis et medelae causa, credendis. Cum nimirum Nostrates conquererentur injuriam iis inferri: Carolus utrique et Catholicae et Evangelicae Ecclesiae adscriptos viros nominavit, causam actorum (Kläger) secundum genuinum Articulorum anni 1681 et 1687 sensum, Explanationibus regiis declaratum, religiose et diligenter cognituros et post cuique parti ex aequo satisfacturos. Sanxit praeterea Rex, ut parti dicta (Ordre) illius Judicii (Commissionis) reprobaturae, integrum sit ad thronum privato tamen solum, non publico nomine profugere. Institutum hocce duplici modo Nostratibus obfuit. Primum quidem, quod cum tempus congressus Judicum illorum procrastinaretur, adversarius mora fuerit data vexandi Nostrates, qui a tempore Comitiorum anni 1715 usque ad initium coitionis Cognitorum, 140 Templorum, iis ereptorum, fecerunt jacturam; deinde quod communibus malis, quae universos Protestantes premebant, ad thronum perferendis, omnis praeclusa fuerit

via; privati autem callido hocce artificio vel a desiderio, regis opem implorandi dimoti et deterriti exstiterint.

Judicio illi extraordinario, Budae consessuro, prima Sept. dies anni 1720 adsignata fuit. Sed mox dies haecce in tertiam Februarii anni 1721 prorogata Pestinumque in congressionis locum fuit constitutum, unde anno insequenti Posonium commigravit. Cum membra Judicii hujus, viris Catholica et Evangelica sacra sequentibus constarent, utraque ex parte religionis suae studiosissimis, factum est ut actio de restituenda concordia in longum protrahi debuerit, ideo maxime, quod altera quidem pars multa — quamvis legitime — poscebat, altera vero in nullos favores exosis Protesantibus concedendos consentire vellet. Postulabant quippe Nostrates ante omnia 140 Templorum, iis novissime ademtorum, restitutionem. Deinde querebantur se in libero sacrorum usu turbari, potestate alendi sacrorum Ministros, eorumque opera in sacris utendi privari, ad amplectenda sacra Romano-Catholica vi adigi, auctoritatem et jurisdictionem Superintendentum Evangelicorum minui, et non tantum civilis, sed et sacri ordinis viros Judiciis Catholicis subjici, Scholas ad disciplinas triviales restringi, Evangelicis necessitatem imponi observandi caerimonias, eorum religioni contrarias, exigique ut in jurejurando dicendo Virgo Deipara, Sancti et Electi dei expresse commemorentur; peritissimos viros a muneribus ineundis arceri, Templa, quorum possessio Nostratibus Articulo XXVI. Comitiorum anni 1681 admissa fuit sensim erepta non restitui, extraneos aditu Sacellorum, in Magnatum et Nobilium aulis prohiberi, ipsos Proceres Evangelicos, si domi Ministrum non habent, in eo, poscente necessitate aliunde arcessendo, impediri. — Clerus his querimoniis intercessit, confirmans decreta in causa religionis prodita, non posse legum numero haberi, quia Clerus se pacificationi Viennensi opposuit, Leges autem serioris aevi armorum vi fuerunt extortae

et contradictioni perpetuae obnoxiae, ita ut Evangelici, nunquam recepti, nonnisi ex gratia Regia, quamdiu terrae principi placet, tolerentur, regnoque quandocunque ejici possint.

Haec puncta postquam Nostrates solide confutassent: Clerus injurias nobis impositas, his argumentis excusare et defendere volebat: primum quod jus dominorum territorii salvum fuerit relictum; deinde quod praeter Mandata regia, quibus parendum erat, nihil nobiscum actum sit; tum quod conditio Nostratium accommodata fuerit Resolutioni Leopoldinae, quae pro genuina explanatione Articulorum XXV. et XXVI. an. 1681 haberi debet; amplius, quod praestantia religionis Catholicae, in hocce Mariano et Apostolico regno, nos aliter tractare non permittit; praeterea quod jus sacrorum (vulgo liberum religionis exercitium) ad certa loca, vicesimo sexto Articulo Comitiorum anni 1681 laudata, restrictum sit, unde sponte sua sequatur, reliqua loca ad Catholicos pertinere, postremo quod clausula „sine praejudicio religionis Catholicae,“ Catholicis jus tribuat omnia Templa, quae vel ipsi, vel eorum majores struxerunt, etiamsi aliquamdiu in Evangelicorum fuerint potestate, recipiendi.

Argumenta haec Nostrates ita refutarunt ut docerent: Jus Dominorum Territorii non esse ad jus statuendi de rebus divinis (ad conscientias) extendendum; Regias Resolutiones Legis auctoritatem infringere non posse; Resolutionem anni 1691 à Rege neque subscriptam, neque legitime promulgatam, ac praeterea Legis sententiae prorsus contrariam, omni vi carere; denominationem locorum in undecim Comitatibus, non excludere potestatem in aliis locis deum palam colendi, primatum Romano-Catholicae religionis, nullum concedere jus Evangelicos religionis libertate, Pacificationibus, Diplomatibus et Legibus confirmata, privandi. Quare desiderabant Nostrates ut Articulo XXV. Comitiorum anni 1681 (qui Articulo primo Comitiorum

anni 1608 superstructus est) convenienter, exercitium Evangelicae religionis in universo regno, urbibus, oppidis, pagis omnibus et ubique religionem Evangelicam sponte et libere acceptare volentibus, liberum sit, cum jure Ministros vocandi eorumque opera utendi; deinde ut nemo ad religionem Romano-Catholicam probandam cogatur, neque qui sacra Evangelina amplectitur, Apostaseos nota maculetur, postea Evangelicis liberum sit, Superintendentes habere, qui Jurisdictionem ecclesiasticam exerceant, Conventus celebrent, causas matrimoniales judicent, coetus sacros recenseant; praeterea Ludimagistri Evangelici absolutam habeant potestatem juventutem instituendi; amplius nullus Evangelicorum ad caerimonias suae religioni contrarias et jusjurandi formulam, quae cum placitis doctrinae Evangelii conciliari nequit, adigatur; adhoc munera publica etiam Nostratibus pateant, illisque iis in locis, ubi templis carent, ex sententia Articuli XXVI. an. 1681 loca pro struendis Templis, Parochiis Scholisque designentur. Templa vero, quae anno 1681 tempore Comitiorum habebant, serius erepta, iis restituantur; insuper Evangelici ad nullas solutiones Parochis praestandas impellantur, Magnatibus vero et Nobilibus liberum sit in eorum sedibus sacella struere et dotare; denique nulla amplius templorum occupatio et usus sacrorum turbatio locum habeat.

Haec dum gererentur anno 1722 Comitia Posonium erant convocata. Ibi Nostrates, summa Actorum Judicii extraordinarii Regi porrecta, ejus judicio sese submiserunt. Enimvero Carolus sententiam dicere procrastinabat. His visis Nostrates cupide instabant querimoniis suis, in Comitiis audiendis remediisque iis parandis. Sed quia Clerus petito huic sese opposuit, Rex usque dum mentem suam aperiret, omnia in pristino servari praecepit. Secuta est tandem die 6. Aprilis a. 1631 fatalis Resolutio, vix umbram pristinarum libertatum legitimorumque Jurium nostrorum relinquens. Ejus praecipua capita haec fuerunt: „Ar-

ticuli Comitiorum anni 1681 et 1687 eorumque Explanatio Leopoldina anni 1691, sunto fundamentum jurium et beneficiorum Evangelicae Ecclesiae in Hungaria. Exercitium religionis Evangelicae publicum, ad loca articularia refertor; praeter loca haec sacrorum usus, omnibus regni civibus Aug. et Helv. Confessionis nonnisi privatus admittitor. Praedicantes restringuntor ad Articularia loca, in quibus aegrotos et captivos suae religionis invisere iisque utilem operam navare poterunt. In locis Non-Articularibus Acatholici Parocho Rom.-Catholico parento. Cultus privatus in aedibus Evangelicorum, sine concursu plurium vicinorum, propinquorum etc. peragitor. Territorii Domini Juribus suis ad opprimendam Evangelicorum libertatem abuti atque in rebus Ecclesiae absque venia regia quidpiam immutare nefas ducuntor. Superintendentes, consentiente rege eliguntor, Visitatio tamen Ecclesiarum ratione baptismi Episcopis Romano-Catholicis salva maneto, veterum Ministri Evangelici a Jurisdictione sacrae Sedis exemti sunto. Causae matrimoniales Evangelicorum secundum leges eorum proprias in sede sacra Episcopali cognoscuntor et judicantor. Apostatis 'qui ad Protestantes defecerunt, arbitraria poena — ante quam de reo capiatur, regi indicanda — irrogator; disparis religionis sponsi coram Sacerdote Rom.-Catholico nuptias concilianto. Dies festos decretales Protestantes quoque, qua forum externum celebranto, nominatim vero artifices et opifices Evangelici sacris obambulationibus (processionibus) intersunto. Jusjurandum ab iis, qui munera sibi ambiunt, — Judicibus Magistratibus, Causarum Patronis, — exceptis tamen testibus, ritu Pontificio dator, nominando Deiparam Virginem et Sanctos."

Post promulgatam hancce Resolutionem Evangelici in Hungaria non meliore quam ante, usi sunt fortuna, partim quod ipsa haec Resolutio Nostratibus vexandis materiem suppeditaverit; partim quod Clerus, et qui cum eo facie-

bant, adsueti fuerint Mandata Regia spernere, eaque migrare, partim quod temporis intervallo Excelsum Consilium Regium telorum quibus petebamur officina, fuerit conditum. Fore huic constituendo magna Statuum et Ordinum in Comitiis an. 1723 congregatorum pars, obstitit. Sed Nostratium tres potissimum, quorum magna erat auctoritas, Paulus Raday, Paulus Prileszky et Paulus Jeszenak blandis, callidis tamen Cleri pollicitationibus circumventi, fore ut Judicii illius Assessores, pari numero e viris Catholica, Augustana et Helvetica sacra sequentibus deligantur; tanto studio tantaque eloquentiae vi pro Tribunali hoc perorarunt, ut postremo Status et Ordines in illorum sententiam discederent. Ita imprudentes Evangelici ipsi sibi laqueos pararunt. Etenim in Dicasterio hocce rarissime unus alterve Evangelicus Consiliarius locum obtinuit. Potior pars Episcopis Romano-Catholicis et viris coeco studio Ecclesiam Romanam, cum injuria aliarum Christianarum familiarum foventibus constabat. Viri hi judicabant causas Nostratium, non Pacificationibus, Legibus in negotio religionis conditis, et regiis Diplomatibus convenienter, sed ad instar Resolutionum Leopoldinae et Carolinae, quas tamen et ipsas, sicubi non satis severae videbantur, ad libidinem arctioribus terminis circumscribebant.

Dum ita Rom.-Catholicis omnia faverent, nihil mirum est, Templa Nostratibus inprimis in locis, in Articulis expresse non nominatis aperte fuisse adempta; Evangelicos, non solum si munera capessere, verum et si civitatis jus consequi, aut in conjuges inaugurari volebant, ad jusjurandum ritu Pontificio dicendum adstrictos, et si hac ratione jurare recusabant, ab eo quod petiverunt remotos, Oratoria Nobilium praeclusa, Nostrates jure Templa Turresque ruinosas instaurandi privatos, Scholas denique ad Grammaticales et Triviales restrictas fuisse. Et quamvis

Carolus licentiam exagitandi Evangelicos, Rescripto diei 12. Julii 1732 cohibere coërcereque cupiverit, impedire tamen non poterat, quominus a tempore famosae illius Resolutionis diei sextae Aprilis an. 1723 usque ad annum 1741. centum Templa et amplius Nostratibus vi eriperentur. Quodsi interdum benevolentiam quampiam in nos contulit Rex, quod v. c. fecit dum anno 1733 permitteret, ut in jurando Nostrates verba reticeant, religioni Evangelicae adversa: tamen quod una manu parce tribuit, id altera cumulate ademit. Ille fuit qui numerum Superintendentum, quales Nostrates ex more quinque habebant, Resolutione 20. Oct. 1734 ad quatuor restrinxit. Memorabilis praeterea est Resolutio haec eo, quod in illa quoque formula, quae jam valde familiaris evasit, occurrat: „Suam Majestatem adhuc admitti dementer jussisse ut Nostrates e numero Praedicantium, quos habent, et quidem patriae filiorum, quatuor Superintendentes eligere et constituere possint, qui Praedicantium subjectorum moribus et doctrinae attendant, et in dissolutos luxuriososque animadvertant.“ Ceterum eadem Resolutione Rex Nostrates duplici officio obligavit, primum cavendi ne constituendis Superintendentibus populo novum onus accedat, deinde peractam Electionem Excelso Consilio regio significandi.

Maria Theresia ab an. 1740—1780 regnante, Clerus auctoritatem et potentiam, quam sibi sensim paraverat, non solum firmabat augebatque, sed ea etiam ad sacra Evangelica in Hungaria, si fieri posset, funditus perdenda abutebatur. Hoc consilio ejus auspiciis conditae fuerunt societates, veluti Sancti Stephani, Sancti Josephi, Societas item Nobilium stellata de Kis Dömölk, anno 1743 coalescens, quarum Socii omnibus artibus Evangelicos ad sacra Romana pelliciebant. Conflata praeterea fuit pecuniae summa, quae successive ad 108,600 florenos accrevit,

ex qua iis qui ejuratis sacris Evangelicis formulam Romanae Ecclesiae amplecterentur, praemia dabantur (Convertiten-Fond). Praeterea cum Clerus non ignoraret Reginae auctoritatem ad nos exstinguendos plurimum valituram, ejus animum natura clementem et in omnes imperio ejus obnoxios benevolum, erga religionem evangelicam eamque profitentes odio implebat, eique consilia, Nostratibus excidium latura, suppeditabat. Eo suasore Maria Theresia Episcoporum sedes iis in partibus, in quibus Nostrates copiosissimi erant, collocabat. Ille quoque Reginae auctor fuit, ut Protestantes in Hungaria secundum peculiare systema tractaret, quod simulate Articulis XXV. et XXVI. Comitiorum anni 1681 et XXI. anni 1687, magis tamen XXX. anni 1715 et Resolutioni Leopoldinae diei 2. April. 1691 atque Carolinae d. 6. April. an. 1731 superstructum, multis iniquissimis additamentis auctum fuit.

Ejus summa haec est. Jus sacrorum Acatholicis omnibus et ubique admissum, nonnisi privatum habetor, cum publicum certis locis sit alligatum. Praedicantes, quoad religionis suae exercitium, ad loca articularia relegantor. Ad articularia loca omnibus illius professionis hominibus undecunque eo confluentibus et concurrentibus, liber aditus et Ministrorum usus conceditor. Plebejis domi, citra plurium concursionem, lectio librorum Confessioni eorum deservientium, libera esto. Jus Dominorum territorii salvum relinquitor, ita tamen, ut hi invito Rege nihil novi suscipere aut immutare praesumant. In locis Articularibus Augustanae et Helveticae Confessioni Addicti, qua Parochialia munia, ad suos Ministros, tot numero constituendos quot comprobata necessitas exigit, libere confugiunto, eorumque opera in providendo saluti aegrotorum et captivorum utuntor. In locis Non-Articularibus Acatholici Parocho Romano-Catholico subsunto, stolam non majorem, quam a Romano-Catholicis exacturo. Ministri Acatholici jure carento ad loca filialia excurrendi; sepulturae tamen

et campanae pro communi usu destinatae etiam Augustanae et Helv. Confessioni Addictis conceduntor. Superintendentes leguntor ita tamen, ut muneri huic non alii, quam patriae filii praeficiantur, quorum partium erit, moribus V. D. Ministrorum invigilare, et in eos, qui officio desunt, animadvertere. In causis profanis V. D. Ministri Jurisdictioni civili parento, Episcopis tamen de modo baptisma administrandi rationem reddere tenentor. Causae Evangelicorum matrimoniales, fundamento positivarum regni legum, judiciis Dioecesanorum Episcoporum substernendae, secundum principia Augustanae et Helveticae Confessioni Addictorum dijudicantor, admissa ad Archi-Episcopum appellatione. Apostatarum — quo loco ii potissimum habentur, qui principio formulam Augustanae et Helv. Confessionis probantes, postquam ritui Romano nomen dedissent, iterum ad pristina sacra redierunt — causa summarie, id est quo celerius tractator, criminis confictis sententia fertor, ante exsecutionem Excelso Consilio Regio proponenda. Sententia lata tenui loco nati, carceribus inclusi, per Parochum loci aut alios ecclesiasticos vel religiosos viros (exclusis ab eorum consortio, aut accessu Praedicantibus) religionis Romano-Catholicae dogmatibus imbuuntor. Poenae hic esto modus, ut homines, qui ante hanc Resolutionem a sacris Romanis desciverunt, carceribus unius anni intervallo detineantur, atque quavis hebdomade duabus diebus solo pane et aqua alantur. Qui ad frugem rediverint, postquam poenam subivissent, libere dimittuntor. Qui verò post hanc Resolutionem confectam, Apostasiae delictum commiserint, neque in custodiam traditi resipuerint, his, si nobiles fuerint mulcta, facultatibus consentanea dicitor, sin ignobiles ad publicos labores pluribus annis perficiendos, vel exsilium etiam condemnantor. Acatholici ad Apostasiam seducentes, castigantor. Qui nondum legitimam aetatem adepti, sacra Romano-Catholica deseruerint, comprehensi, ad locum idoneum, ut

est Conventus, Seminaria etc., mittuntor, ubi si ad literas apti, usque legitimam aetatem sacra Evangelica non ejuraverint, id Excelso Consilio regio et per id Regiae Majestati indicator; sin tardi fuerint ingenii religionis Catholicae doctrina bene imbuti, et Ecclesiae Catholicae adscripti, ad opificia vel alia servitia, non tamen in domubus Acatholicorum adhibentor. Parochi et Parentes sponsum sponsamque permovento, ut liberos in mixtis matrimoniis susceptos, sacris Ecclesiae Romanae initiari curent. Orborum, in religione Romano-Catholica educandorum, Magistratus, Episcopi Dioecesani Parochique curam habento. Parentibus Romano-Catholicis nefas esto, liberos Scholis Acatholicorum addicere. Ludimagistri Acatholici duodecim Rfnis mulctantor, si parvulos Catholicos in ludum receperint; poena haec duplicator, si delictum hocce identidem commiserint. In locis ubi necessitas exigit, Parochiae atque V. D. Ministri constituuntor, Ludimagistri tamen et Notarii in locis, ubi nulli V. D. Ministri sunt, Conciones habere vel Postilla praelegere non praesumunto. Territorii Domini, nisi sacellis privari velint, extraneos eorum aditu arcento. Diversam in profitenda religione formulam sequentes, sponsus sponsaque, nuptias coram Parocho Rom.-Catholico concilianto, qui si perduci non possent, ut omnes liberos in religione Catholica educari permittant, minimum eo flectuntor, ut Catholicae conjugum parti sexus sui liberorum educatio in sua religione salva maneat. Triviales Scholae in locis Articularibus usque Grammaticam conceduntor, altiores ludi tolluntor. Si Acatholici Scholarum condendarum veniam consequi voluerint, videtor an sint decernendo Salaria professoribus, quin tributo solvendo difficultas offeratur. Id agitor ne biblia, aliive libri pietati apti prius quam censurae fuerint subjecti, disseminentur. Acatholici ferias et festivitates Catholicorum, quoad forum publicum obeunto, Opifices pompae sacrae (processionibus) fundamento Privilegiorum intersunto.

Judices, Magistratus, Causarum Patroni in jurejurando dicendo formula decretali utuntor, nominando expresse Deiparam Virginem et Sanctos; testes juranto in forma vulgari. In locis Non-Articularibus, Acatholici Catholico Parocho subsunto, eique etiam Stolam eandem, quam Catholici solvunto. In locis Articularibus Parochi R.-Catholici a Catholicis, Ministri Protestantium a suae religionis hominibus, stipendia capiunto, neutra igitur pars, exceptis legatis in favorem Sacerdotum conditis, ex aerario publico sustentator. Si quis Acatholicus in loco Non-Articulari degens actum stolarem per V. D. Ministrum suae Confessionis peragi desideraret, id salva manente Parocho Rom.-Catholico stola conceditor. In arcibus et sedibus Magnatum, Nobiliumque, Sacella et Oratoria non aliter impugnantor, quam si publicum Acatholicae Confessionis exercitium in iisdem institui in aprico esset. Catholici Acatholicos, hi illos, in rebus ad usum sacrorum pertinentibus turbantes, puniuntor. In causa religionis obviae querimoniae, non communi sed privato nomine, ad regem deferuntor.

Systemate hocce Jura Evangelicorum in Hungaria, Pacificationibus Regni Legibus et Diplomatibus confirmata, prorsus antiquata fuisse luce meridiana clarius est. Cum vero haecce in Nostratibus tranctandis adhibita fuerit norma, metiri inde licet, quae fuerit Maria Theresia dominante Evangelicorum in Hungaria conditio. Sed redeamus ad historiam.

Protestantes Hungari, ante quam Maria Theresia regio insigni ornaretur, legatos ad eam miserunt, legitimorum suorum Jurium, Privilegiorumque confirmationem efflagitaturos. Sed princeps haec, per Clerum in Nostrates concitata, nuncios non admisit, praetendens Evangelicis nefas esse communi nomine, religionis causa, ad thronum profugere. Brevi post anno 1741 probavit quidem Regina Sanctiones Comitiorum anni 1681 et 1687, quae nobis

magis favebant, quam Resolutio Leopoldina et Carolina. Sed quod speciosa hacce Confirmatione nihil commodi Nostratibus accesserit, vel inde planum est, quod ille jam die 21. Sept. anno 1742 inter Comitia denuo Reginae libellum supplicem porrexerint, quo sua legitima Jura exposuere, deinde quomodo violarentur docuere, postremo malis hisce remedia parari, etiam atque etiam rogavere. Enimvero profecerunt nihil. Regina enim Resolutione d. 24. Decembris 1742 Carolinam Resolutionem, diei 6. April. 1731 ratam fecit, atque Nostrates illi sese accommodare jussit. Ab eo tempore obruebamur Resolutionibus et Intimatis, nobis detrimentosis. Neque tamen satis adhuc studiose se commoda Ecclesiae Romanae juvisse, sibi videbatur Regina. Quare datis, post festa Paschatos anni 1763 ad Franciscum e Comitibus Bárkoczy, Archi-Episcopum Strigoniensem, literis, eundum provocavit primum, ut se edoceret nomne remissius praeteritis amnis saluti Ecclesiae Romanae fuerit prospectum, deinde ut sententiam suam depromeret, qua ratione quod neglectum fuit, pensari et resarciri posse opinaretur. Bárkoczyo mandato hocce nihil gratius accidere potuit. Properavit igitur Reginae consilia, inferno non indigna afferre. Eorum hic est ordo et argumentum: Invectio extraneorum librorum haereticorum graviter vetetur, simul vero et censura omnium librorum instituatur. — Omnes haeriticorum Scholae restringantur ad Grammaticam et ad decimumquartum aetatis annum Studiosorum. Qui altiores disciplinas colere voluerint, jubeantur Scholas Catholicas, iis tamen in locis adire, ubi nullum est publicum Acatholicae religionis exercitium. Acatholici ad Ministerium inhabiles declarentur, qui in exteris regnis literas cognoverunt. Omnes Protestantes obligentur officio in Templis Catholicis verbum dei audiendi neque permittantur prius quam hoc fecerint, Oratoria sua adire. In Praedicantes proscriptionis poena statuatur, qui sibi sumerent in dogmata Catholica invehi,

illa oppugnare vel refutare. In omnibus locis, quae anno 1681 jure sacrorum, palam colendorum carebant, illa tollantur. Ministerio vacante, nulli coetui fas sit inscio et invito Rege, novum Ministrum introducere. Ut vero permitti queat novi Ministri cooptatio coetus probare teneatur, locum ejus esse articularem. Imo articulari etiam loco publicus sacrorum usus negetur, si ad unius horae distantiam alter adest locus, publico religionis exercitio gaudens. Resolutionibus denique, quarum auctoritate jus nominandi Ministrum conceditur, inseratur particula adhuc. Nullus ad officium Judicis Assessorum et Senatorum admittatur, nisi juret per b. Virginem Mariam et omnes Sanctos. Nullus Causidicus Acatholicus permittatur agere ad Cancellariam aulicam, ad Tabulas Regiam et Districtuales. Consuetudo, quae in nonnullis Comitatibus et Civitatibus obtinet Magistratus per vices, viris diversae religionis conferendi, vel pari numero ex utrique Confessioni adscriptis muneribus admovendi, tollatur. Ipsum instaurationis negotium credatur rectioni viri Catholici, Ecclesiae suae studiosissimi. Opifices et Artifices jubeantur sine religionis discrimine interesse non solum concionibus Catholicis, sed etiam obambulationibus sacris (processionibus), omnibusque pietatis exercitiis. Qui contra egerint, primis duabus vicibus mulctentur, tertia nomina eorum ex Albo coetus expungantur, prohibeanturque tractando opificio. Nulli extraneo Acatholico conferatur jus civitatis, aut collegii (Zunft); imo ne ad matrimonium quidem contrahendum admittantur peregrini Evangelici. In militia Acatholici officiis promiscue non praeficiantur. Iidem decretum quodpiam in causa religionis proditum migrantes publico sacrorum usu priventur, Magistratus autem mandata remissius exsequentes, legitimis suppliciis coërceantur. A Cancellaria Hungarica omnes Acatholici Agentes arceantur. Matrimonia sponsorum mixtae religionis impediantur.

Cum Reginae consilia haec non displicerent, Nostra-

tes oppressionis periculo expositi: Vindobonam legatos misere, qui eo die 30. Julii 1763 advenerunt. Legati hi tradiderunt Cancellario libellum supplicem, septemdecim querimonias continentem, quae huc redeunt: „Quod Evangelici Proceres (Magnates), Nobiles et Cives ab omnibus propemodum muneribus remoti, in propria patria exsules agere debeant. Quod Protestantes non permittantur disciplinis se excolere, siquidem Scholae eorum ad Grammaticalia deprimuntur, et Studiosi Academias adituri, ad unum alterumve annum restringuntur. Quod invectione dogmaticorum, symbolicorum et historicorum librorum prohibeantur, Bibliis, in publicum redactis combustisque, priventur. Quod non obstante interdicto anni 1681 Templa ita adimantur, ut Nostrates ab an. 1681—1721 quadringentarum et amplius a Commissione Pestana ad annum 1744. quadraginta et ultra; ab anno denique 1744 ad 1763 centum et supra aedium sacrarum ereptarum, jacturam deplorent. Quod Ministri vetentur loca filialia adire et in iis munia exsequi. Quod Ministri et Ludimagistri post recuperatas ditiones ante Turcorum dominio obnoxias, ex iis locis pellantur, quae olim confiniorum numero fuere habita, Ludimagistri jure Postilla in Concionibus legendi exuantur. Quod Catholici praeter jus et fas Stolam a Nostratibus exigant. Quod Apostatis accenseantur, qui sacra Catholica nunquam professi sunt, dummodo parentibus fuerint Catholicis nati. Quod Territorii Domini juribus suis abutantur ad sacra Pontificia, hominibus Evangelicis, vi obtrudenda. Quod si superiora fora de causis ad Nostrates pertinentibus edoceri se desiderant, solis Catholicis Inquisitionis peragendae negotium credatur, neque Acta Investigationis Nostratibus communicentur. Quod causae matrimoniales non ex sententia Ecclesiae Evangelicae judicentur. Quod Superintendentes Ecclesiarum Visitatione prohibeantur. Quod Ministri Evangelici a Consistoriis Catholicis citentur, et ita Jurisdictioni non legitimae subji-

ciantur. Quod Evangelicis etiam soluta Stola, in profugiendo ad loca Articularia; actuum sacrorum causa, difficultas offeratur. Quod in pluribus Civitatibus Evangelici ad emendas domos non admittantur, alibi a Magistratu et Collegiis excludantur, et ad caerimonias religioni Evangelicae contrarias, mulctis irrogatis, compellantur. Quod Reformati contra religionis suae principia cogantur in casu necessitatis baptisma per obstetrices peragi curare. Quod ab Adeundis pietatis causa domubus privatis (oratoriis) in aulis Magnatum et Nobilium Evangelicorum structis, non solum rustici, sed et nobiles eodem loco viventes arceantur."

Cancellarius eo viso, libellum hunc esse communi nomine Evangelicorum Augustanae et Helveticae Confessioni Addictorum paratum, statim declaravit, dubitare se Reginam preces supplicantium esse audituram. Nec aliter evenit. Etenim die nona Augusti Regina nunciis his, non solum aperiri jussit, se eos neque ad alloquium admissuram, neque illorum libellum, communi nomine compositum, et porrectum accepturam, sed etiam mandavit, ut Vienna propere relicta, domum remigrent. Repulsa hacce Nostratibus data, tanto liberius in eos saeviebat Clerus et qui ejus erant partium.

Maria Theresia ad metam properante, propemodum nihil amplius ex legitimis Juribus et Privilegiis Evangelicorum in Hungaria superfuit. Sententiam hancce nostram comprobaturi, adnectimus seriem nonnullorum Exc. Consilii Regii Locumtenentialis Hungarici Intimatorum salutem nostrae Ecclesiae in discrimen vocantium.

Doctrina Ecclesiae Evangelicae nominatur haeresis, virus haereticum, Resolutione 8. Julii 1768, 22. Febr. 1776, 1. Juni 1778.

Protestantes ita exagitabantur, ut queri debuerint. Hoc tamen si fecerunt, homines queruli Resolutione 20. Julii 1775 vocabantur, et 30. Jul. 1762. querimoniis abstinere jubebantur.

Si desiderabant Nostrates, ut in eorum causis Inquisitiones instituerentur, id mox 29. Oct. 1765, 9. Mart. 1778 iis negabatur, mox aegre nimium, 20. Mart. 1769 concedebatur; mox ea solum lege d. 14. Jun. 1779 admittebatur, ut sumtus cum Investigatione conjunctos, tolerent. Ceterum autem Nostratibus nefas fuit quaestionibus interesse, 31. Oct. 1766, 9. Mart. 1778. Cognitores erant plerumque Praelati Rom.-Catholici 4. Nov. 1747, 17. Jan. 1749; igitur Accusatores Rei, Quaesitores, Arbitri et Judices simul.

Romano-Catholicis sacra Evangelica non solum amplecti d. 6. April. 1731, 24. Decbr. 1742, 17. Jan. 1749 20. Oct. 1763, sed etiam obire eadem, iisque interesse d. 6. Febr. 1756 vetabatur. Enimvero Evangelici cogebantur celebrare divina Catholica, inprimis ob ambulationes sacras d. 6. April. 1731, 8. Jun. 1762, 16. Mart. 1761, maxime mechanici et opifices d. 1. Oct. 1767, 6. April. 1776, 2. Oct. 1769; qui si aberant mulctabantur, ut lanistones Cremnicenses centum aureis d. 9. Oct. 1767, et ad mulctas has dissolvendas ope exsecutionis d. 17. Aug. 1761, 6. Sept. 1762, 30. Aug. 1763, 2. Oct. 1775, 26. Maji 1777 adigebantur.

Catholici Episcopi et Parochi Resolutione 27. Febr. a. 1748 jubebantur Protestantes, maxime eorum Pastores, diligenter observare; unde infinitae accusationes, querimoniae, proditiones contumeliaeque, quae Nostrates manebant, originem traxerunt.

Ministri Evangelici ab invisendis locis filialibus arcebantur an. 1752, ut Evangelici tanto facilius in sinum Ecclesiae Romano-Catholicae pertraherentur, Ecclesiae Evangelicae, ipsorum etiam locorum Articularium, pro filialibus Parochiarum Catholicarum d. 24. Jan. 1747 declarabant. Hac de causa Sacerdotes Catholici in ipsos adeo Ministros Evangelicos jus sepulturae sibi vindicabant. Etiam milites Evangelici cum uxoribus et liberis Jurisdictioni Paro-

chorum Catholicorum d. 16. April. 1753, 2. Oct. 1769 subjiciebantur. Evangelicis Pastoribus nefas fuit, suae religionis homines in locis, quae Parochiis Romano-Catholicis fuere adscripta, adire. Qui contra egerunt mox mulctabantur, ut Pastor Padarensis qui ad Rfnos 200 solvendos fuit adactus, mox muneribus privabantur 13. Jan. 1763, 10. Oct. 1771, 8. Jan. 1753, 13. Mart. 1752.

Etiam ordo equestris Stolae Parochis Romano-Catholicis dandae d. 8. Jun. et 24. Decembr. 1750, 22. Oct. 1767, d. 12. Decbr. 1768, d. 14. Mart. et 10. Oct. 1771 subjiciebatur. Qui stolam dissolvere tergiversabantur, auctoritate magistratuum d. 12. Julii 1771 compelli jubebantur. Reddita Parocho Romano-Catholico Stola liberum manere debuisset Evangelicis, actus sacros per Ministros Confessionis suae peragi curare. Hac tamen in re saepe et vario modo 30. Jan. 1768, d. 21. Maj. 1773, difficultates afferebantur. In exigenda Stola nimia 29. Aug. 1768, 23. Febr. 1775 inprimis ea, quae libera vocatur, 29. Oct. 1760, 15. Mart. 1773 fenus iniquum exercebatur et in articularibus quidem locis 27. Jul. 1767 ad Trenchinienses, 21. Mart. 1752 ad Kesmarkenses, parcebatur. Neogamis etiam Stola soluta testimonium promulgationis peractae negabatur, quo non habito, nefas fuit Pastoribus Evangelicis 25. Febr. 1762, 12. Febr. 1767 matrimonium solemni ritu inaugurare.

Evangelici jubebantur d. 16. Sept. 1774 Catholicos in aedificandis vel reparandis templis, aliisque aedificiis eo pertinentibus, sublevare.

Inauguratio conjugii Sponsorum mixtae religionis, Parochis Catholicis d. 6. April. 1731 deferebatur. Tempestate copulae, pars conjugum Evangelica d. 15. Nov. 1770 jubebatur promittere, quod vel ipsa, sacra Romana amplecti, vel illis omnes liberos addicere velit. Ad exsolvendum promissum tale, compellebantur conjuges et parentes jam poena vinculorum, d. 11. Oct. 1762, d.

5. Apr. 1764, d. 1. Jun. 1778, jam mulctis d. 19 Decbr. 1759, 28. Jul. 1768, jam verberibus d. 11. Oct. 1762, jam lite d. 10. Decbr. 1753 Apocharum talium, quibus parentes de liberis in religione Catholica educandis cavebant, vis, d. 28. Jul., 1768, d. 22. Maj. 1769, d. 15. Nov. 1770, d. 5. Maj. et 2. Oct. 1777 confirmabatur. Magistratibus mandabatur, vigilarent, ut liberi in matrimoniis mixtis nati in religione Catholica educentur, d. 15. Decbr. 1755, d. 9. Decbr. 1777; ut vero consilium hocce tanto certius obtineretur, parvuli jam septimo aetatis anno fidei professionem edere et sacra coena uti, d. 17. Jan. 1749, d. 5. Aug. 1756 jubebantur. Ne liberi conjugibus, disparis religionis, sati, per partem Evangelicam sacris Evangelicis initientur, mox clam, mox vi d. 7. Maji 1764 parentibus rapiebantur. Iidem liberi per Parochum Catholicum d. 14. Mart. 1754 lavacro sacro ablui jubebantur, et per eundem 5. et 30. Aug. 1756, 3. Jun. 1768 educabantur; quodsi vero non satis tuti viderentur, d. 28. Mart. 1757, 3. Aug. 1758 in Orphanotropheum Senicense mittebantur. Inprimis sedulo in eo elaborabatur, ut orbis Evangelicis Catholici potirentur, 17. Jan. 1749, 20. Jul. 1769, 30. Jul. 1774 eorum in religione Catholica educandorum gratia. Evangelicorum Zingarorum liberi, parentibus vi adimi placitisque Ecclesiae Romanae imbui d. 30. Jun. 1774 jubebantur.

Parochi Catholici negabant sepulturam Ecclesiasticam maritis Evangelicis, conjugum catholicorum 12. Mart. a. 1754.

Sacerdotes Catholici officio obligabantur 29. Decbr. 1734, 2. Jan. et 12. Oct. 1775, 25. Apr. 1776, aegros Evangelicos in sinum Ecclesiae Catholicae reducendi. Propinqui Evangelici, quo conversionis negotium facilius succederet, adveniente Parocho Catholico d. 15. Mart. 1773 a cubili aegroti removeri jubebantur. Qui ad sacra Catholica pellici non poterant, ne in sepulcro quidem quiescere permittebantur. Accidit id Casparo Dubrovay, in Comitatu Trenchiniensi, qui quod hostiam ori vi intrusam

— consilio vel invitus? non liquet — ejecerit, Resolutione Consilii d. 14. Sept. 1727 ex terra effodi, per carnificem cremari ejusque cineres fluvio Vago injici jubebantur. Praeter loca Articularia V. D. Ministris aegrotos invisere d. 6. Maji 1762 non erat integrum.

Etiam maleficos Evangelicos, ut sacris Pontificiis devinciri possent, adire Sacerdotibus licebat 11. Mart. 1735. Si nocentes Evangelici sacra mutarunt, poena eis vel remittebatur, vel mitigabatur. Soli Sacerdotes Catholici habebant jus 9. Decbr. 1756, Evangelicos capitis damnatos ad locum supplicii prosequendi.

Mortuis Evangelicis in locis, ubi nullum proprium habebant coemeterium, in coemeterio Catholico sepulturae locus, jam — inprimis a territorii dominis Catholicis — negabatur; jam nonnisi gravi aere soluto d. 22. Maji 1769 concedebatur.

Jus Stolae in peregrinum Evangelicum mortuum, sibi Parochi Catholici d. 9. Sept. 1760, d. 26. Mart. 1773, d. 9. Jun. 1777 vindicabant.

Usus sacrae coenae impanatio, impanisatio d. 18. Maji 1762 vocabatur.

Pastores Evangelici nonnisi in matre potestatem habebant Paroecis suis sacrum epulum administrandi. Qui id in loco filiali fecere, poena afficiebantur. Accidit id Paulo Doleschal, qui hac de causa d. 6. Martii 1762 munere fuit orbatus.

Qui ab Articularibus locis remoti vivebant, iis temporibus, quibus in adeundis locis illis impediebantur, coeperunt domi — admissis interdum vicinis, amicis propinquisque — numen colere. Sed hoc quoque beneficio cito satis privati sunt. Etenim Intimatis 12. Jan. 1762, et 20. Jan. 1774 vetabatur in locis Non-Articularibus in concilio plurium familiarum pietati vacare. Nostratibus non erat fas copiosissimis coetibus etiam in ipsis locis Articularibus duobus plures Pastores praeficere 6. April. 1731.

Qui potestatem plures alendi impetrare volebant, cum inexplicabilibus impedimentis conflictari debebant 12. Nov. 1763. Pastoribus, qui sine venia regis provinciam auspicati sunt, munus sacrum abrogabatur.

Ludimagistris non licebat in Filialibus preces, vel sermones sacros 17. Jan. 1749, 10. Oct. 1771, 6. Maji 1773 praelegere.

Iisdem Ludimagistris ne in matre quidem pro concione dicere 28. Jan. 1746, 14. Maji 1778, d. 19. April. 1779 integrum fuit.

Pastores Evangelici carebant venia a loco domicilii recedendi, et vel in proximum Comitatum commeandi, 17. Jan. 1749, 1778. Qui aliquo proficisci volebant, eos ante a Comitatu literas liberi commeatus impetrare oportebat. Fiebat hoc in regno, quod omnis, cujuscunque status et conditionis viator, etiam sine liberi commeatus literis, ad lubidinem peragrat.

Jam in Comitiis anno 1708 Posonii celebratis, volebant Nostratium adversarii, formulam „salvo jure Dominorum terrestrium“ ita illustrare: „Clausula illa: salvo jure dominorum terrestrium ita interpretanda est, nempe quod Domino terrestri Romano-Catholico licitum sit suoque stet in arbitrio, velitne an nolit suo in fundo aut territorio, Augustanae et Helveticae Confessioni Addictum Praedicantem, aut subditum tenere; e converso vero siquidem sola Romano-Catholica fides, in hocce Apostolico regno haereditaria est, Augustana vero et Helvetica Confessio, contra severissimas Regni hujus leges et prohibitiones, sub armorum strepitu, propter bonum pacis tolerata: ideo non licebit alterutri Confessioni addictis, Parochos de bonis suis aut etiam subditos Catholicos amovere.“ — Eo quidem tempore interpretatio illa publicam auctoritatem sortita non est: attamen osores nostri eam, in normam nobiscum agendi, adoptarunt. Unde factum est, ut innumera templa nobis impie raperentur. Occupata autem Pa-

store pulso templa, actutum ritu Ecclesiae Catholicae inaugurabantur. Inaugurata autem — etiamsi ipsa fora agnoscerent per injuriam nobis fuisse erepta — amplius, quod inaugurationis ritus obstaret, reddi non posse d. 11. Julii 1774 edicebatur.

Ne cum aedibus sacris, turribus, parochiis, scholis, coemeteriis ulla susciperetur mutatio, praecipiebatur. Edicta haecce ad ipsa adeo tecta, quibus sine venia regis aedificia instruere non licebat, extendebantur 28. Jul. 1745, 12. Maji 1767. Ne incendio quidem deleta aedificia ecclesiastica sine concessione regia d. 25. Febr. 1760 instaurare licebat. Nostrates in aedificiis ecclesiasticis, propria auctoritate ponendis aut instaurandis, per Magistratum impediri jubebantur 5. Julii 1746. Si Evangelici necessitatem reparandi aedificia ecclesiastica Magistratibus et homini dioecesano evicerunt: tamen multis impensis magnaque patientia opus erat, usque dum potestas ea renovandi, altissimo loco tribueretur. Insuper Oratoria nostra formam horreorum et arearum obtinebant. In subsidium struendorum aedificiorum ecclesiasticorum nefas fuit ipsorum etiam fidei consortum, ad Paroeciam non pertinentium, opem et auxilium implorare. Ne quidem in flammis absumta aedificia ecclesiastica reficienda symbolas fratrum fidei flagitare 12. April. 1728, 9. Mart. et 19. Jul. 1775, 19. Mart. 1779, 19. Jul. 1777 permissum erat. Praeterea Nostratibus onus imponebatur, ab Oratoriis d. 2. Oct. 1769 Modiae, a Parochia pro annis 46 elapsis Cremnicii an. 1767 tributum pendendi. Vetitum erat coemeteria Evangelica cingere, d. 28. Jan. 1775, d. 15. Jan. 1770.

Jus Sacellorum nobilitarium Articulo 26. Comitiorum anni 1681 concessum, ita finiebatur, ut vel negaretur potestas concionatores aulicos alendi, atque ullum, ad ipsam aulam non pertinentem ad sacra admittendi (ann. 1688 — 1691) 28. April. 1741, 2. Nov. 1732, vel venia Oratoria talia struendi, gravi aere (tercentis adeo florenis,

quos v. c. Ottlik numeravit) d. 8. Febr. 1753 redimi debuerit.

Scholae Evangelicorum ad Grammaticalia d. 16. Decbr. 1733, d. 12. Febr. 1756, deprimebantur. Etiam privata institutio, in disciplinis altioribus prohibebatur 12. Nov. 1748; ne Magnatibus quidem et Nobilibus 30. Jul. 1748, 30. April. 1754, ab intemperie hacce exceptis. Publicis autem Praeceptoribus, quid docerent attendebatur, poenaque in eos statuebatur, qui praecipiebant ea, a quibus adversarii abhorrebant. Certe Rector Scholae Cremnicensis, Jo. Blasius, ob Polemicam auditoribus suis traditam, munere orbatus atque in exsilium fuit ejectus. Superintendentes Evangelici a Scholarum custodia d. 17. Aug. 1776 removebantur. Subtrahebatur potestas Scholarum sublevandarum causa d. 12. April. 1728, 17. Aug. 1776 collectas instituere. Studiosis neque domesticis erat integrum d. 3. et 26. Decbr. 1729, d. 15. Jun. 1761, d. 6. Maji 1765, d. 2. Oct. 1769, d. 9. Febr. 1776 stipem colligere; neque ad exteros literarum causa discessuris d. 9. Febr. 1776, locupletium opem implorare. Cantationes, quae partem redituum Magistrorum Evangelicorum efficiebant, d. 20. Jul. 1769 prohibitae, Catholicis Organoedis salvae manserunt. Praeter Magnates et Theologiae studiosos, nemini ad Academica subsellia extranea 3. Jun. 1725, 11. Jan., 8. et 11. Jul. 1743 patebat aditus. Studiosi Evangelici, qui Catholicos habebant Territorii Dominos, literas liberi ad exteros commeatus non prius obtinebant, quam se manumissos esse — quod saepe centum Thaleris imperialibus veniebat — docuissent. Ab anno 1761—1765 Sacrarum literarum studiosi, exteras Academias invisuri, in obtinendo diplomate (Passport) culpa Primatis Francisci Barkoczy, innumeros obices sibi poni viderunt. Reduces ab exteris sese coram Exc. Consilio Regio sistere 12. Febr. 1757 jubebantur. Libri ab exteris adlati, per Censores, quod munus Loyolitis credebatur, Pragae, Vin-

dobonae et Posonii revidebantur et ab anno inde 1719 ad arbitrium possessoribus eripiebantur. Anno 1723 d. 12. Jun. 2894 exemplaria Bibliorum hungarico sermone conscriptorum publica auctoritate occupabantur. — Sublato publico sacrorum jure multis in locis alebantur minimum Praeceptores, qui initia religionis doctrinae parvulis tradebant. Sed mox ne his quidem parcebatur; jam enim d. 18. Mart. 1754 et 12. Mart. 1777 ejiciebantur; jam praeter legendi et scribendi artem quidpiam discipulis suis inculcare 2. Jan. 1772 vetabantur Ludimagistri Evangelici, qui in disciplinam Catholicorum natos recepissent, d. 10. Apr. 1754 duodecim Rfnis mulctari jubebantur; contra autem 15. Sept. 1774 poscebatur, ut Evangelici parvuli ludos Catholicos adeant, imo et Scholis Catecheticis in templis Catholicorum d. 12. Maji 1777 vacent. Ipsi Juris patrii auditores Evangelici, jubebantur disciplinas Juris Tyrnaviae, post Budae 1. Nov. 1770 et 17. Aug. 1776 excolere.

Multis in locis Catholici Evangelicis usum Campanarum negabant, vel nonnisi soluto grandi pretio, d. 26. Apr. 1776 concedebant. Sed Nostratibus d. 13. April. 1767 imperabatur, ut Catholicis, ubi campanis carebant, earum usum concederent. Protestantes usu propriarum campanarum, festo Parasceves d. 14. Maji 1778 prohibebantur.

Catholica Consistoria in causis, quae ad eorum Jurisdictionem non pertinebant, Pastores Evangelicos d. 24. Jan. 1772 citabant et judicabant.

Superintendentes lege anni 1608 erant admissi. Enimvero Resolutione d. 6. April. 1731 Nostratibus committebatur, ut Superintendentes ab aula expeterent. Ipsorum vero Superintendentum Jurisdictio mox 7. Maji 1732 abrogabatur, mox d. 8. Aug. 1747 restituebatur, ac iterum d. 19. Jan. 1777 antiquabatur. Numerus vero Superintendentum d. 20. Oct. 1734 ad quatuor reducebatur. Ce-

terum Superintendentes hi d. 6. April. 1731, d. 10. Maji 1748 Visitatione Ecclesiarum interdicebant.

Ne Nostrates in perficiendis sacris suis progrederentur, omnis mutatio etiam in adiaphoris, liturgia etc. d. 16. Septr. 1776 vetabatur.

Quoniam communi nomine nefas fuit profugere ad thronum, accidit, ut neque Conventus copiosos celebrare liceret. Postquam autem Interdictum hocce Nostrates migrassent, Ecclesiarum Evangelicarum Inspectores, Baro Zay d. 6. Oct. 1746 et Radvanszky d. 26. Sept. 1747 gravem incurrerunt animadversionem.

Ne numerus Evangelicorum in regno augeretur, peregrini, quos, utpote regno utilissimos, Sanctus Stephanus filio Emerico impense penitusque commendavit, d. 28. April.; et 24. Aug. 1733, d. 3. Novbr. 1755, d. 4. Febr. 1760, d. 5. Decbr. 1766, a jure civitatis excludebantur; imo ne domesticis quidem in nonnullis Oppidis successit, d. 18. Mart. 1733 sedem figere. Praeterea ne Nostrates opibus et potentia increscerent, Jus praeemtionis, quod vocant, d. 17. Nov. 1764, 6. Maji 1768 Catholicis tribuebantur. Si in Oppidis et Urbibus, quae Privilegia habebant, de jure civitatis solis Catholicis concedendo, hereditatis jure bona immobilia ad Evangelicos devolvebantur, haec venumdari debebant d. 25. Sept. 1767.

Evangelicis munera civilia d. 30. April. et 22. Jun. 1730, 25. Mart. 1765 abrogabantur: ut vero tanto facilius soli Catholici potestatibus praeficerentur, Sacerdotibus nimius suffragiorum numerus (velut Neosolii 12) concedebatur, et qui Magistratum gerere volebant, ad jusjurandum ritu Pontificio dicendum d. 24. Decbr. 1742, adigebantur. In conferendis dignitatibus Catholicis — solius religionis causa — d. 9. Febr. 1755, d. 22. Novbr. 1773 palma deferrebatur. Inprimis in Comitatibus nonnullis, Protestantes muneribus publicis non facile admovebantur.

Praedicantes, si festa decretalia Catholicorum auditoribus non indicabant, d. 3. Jun. 1747 florenis duodecim mulctabantur. Ohe! jam satis esto!!!

Si Mariae Theresiae Rex successisset, illius principiis imbutus, et tam longa annorum serie ad clavum sedens, Evangelica religio in Hungaria haud dubie prorsus fuisset exstincta. Enimvero numini placuit, eam ab interritu vindicare. Usus autem est in nobis servandis deus Josepho II., Leopoldo II. et Francisco I., Imperatoribus Hungariaeque Regibus, qui omni conatu egerunt, ut Nostratibus pristinorum legitimorum beneficiorum et privilegiorum usuram conciliarent. Qua in re si, quod petebant, consecuti non sunt, nosque in perfruendis nostris Juribus varie adhuc turbamur: id Cleri culpa accidit, qui mox importunis suis sollicitationibus, Imperantes ipsos ad condenda edicta, legis auctoritatem nonnihil infringentia, acrius incitabat, mox Regni Fora Tribunaliaque odio contra nos armabat, mox ipse quamvis occasionem, noxam nobis inferendi promtus arripiebat. Sed exponamus singulatim, quid celebrati Reges in Nostratium commodum fecere.

Josephus II. princeps insigni sapientia, liberalitate et aequitate conspicuus, simulac Regnorum gubernacula cepit, *Edictum Tolerantiale* d. 20. Oct. 1781 vulgavit, quo Jura et Beneficia Evangelicorum in Hungaria eorumque ad Ecclesiam Romano-Catholicam rationem, finivit. Edictum hocce universis Acatholicis ubivis locorum, ubi eis publicum religionis exercitium non competit, privatum, absque omni quaestione, an illud in tali loco unquam solitum fuerit, vel minus, concedit, iisque ubi centum familiae sunt, potestatem tribuit Oratoria, — Turribus, Campanis, et Introitu ex platea publica caritura — modo tributo solvendo nullum importetur detrimentum, struendi; Pastores (aegros quoque invisuros) et Ludirectores introducendi, atque necessaria pro iis aedificia ponendi; Acatholicos munerum et dignitatum publicarum capaces declarat, eosque a jure-

jurando; eorum principiis contrario immunes pronunciat, atque a sacris et caerimoniis Catholicis obeundis liberos reddit; Apochas (Reversales) a sponsis dari solitas, quod omnes liberos, placitis Romanae Ecclesiae imbuere imbuive curare velint, abrogat, natosque ubi pater est Romano-Catholicus, omnes in religione patris; ubi Evangelicus filios secundum patris, filias secundum matris fidei formulam educari jubet; Catholicos Sacerdotes aegrotis Acatholicis sese obtrudere vetat; Acatholicos in possidendis Templis, quae vere habent, confirmat, iisque nova quoque, si incendio vel ruina destruerentur, sive e ligno, sive e saxis, obtenta ab excelso Consilio Locumtenentiali Regio potestate, aedificare concedit. Episcopos Romano-Catholicos occasione Canonicae Visitationis V. D. Ministros Evangelicos ratione baptismi, quaestioni subjicere interdicit; Superintendentibus copiam facit V. D. Ministros iis obnoxios — modo institutum hocce solvendo tributo nihil obsit — visitandi Synodos denique aut Congregationes, praesentibus duobus Commissariis Romano-Catholico altero, altero Evangelico, ea lege celebrari concedit, ut ante deliberationum momenta indicentur.

Quamvis autem edictum hocce Tolerantiale terminos Tolerantiae non excesserit, quoniam a sententia Pacificationum, Diplomatum, Regnique Legum alienum, discrimen publicum inter et privatum religionis exercitium, legi ignotum, non sustulit, onere Stolae Parochis Romano-Catholicis pendendae Evangelicos non liberavit; in locis Non-Articularibus privatum nonnisi sacrorum usum admisit; Pastores in locis filialibus pro concione dicere vetuit; sex hebdomadum, in nulla lege fundatam institutionem, in domo quapiam religiosa aut alio loco congruo capiendam, iis praescripsit, qui a Catholicis sacris ad Evangelica transire vellent; parentes diversae religionis jure, liberos in ea religione, quae ipsis maxime probaretur educandi, exuit, et religionem Catholicam expresse dominantem declaravit, magnis tamen per

quo licentiam tribuit, etiam in filialibus locis campanis utendi; Int. 10. Jul. 1787, quo iis locis, quibus templi erigendi potestas datur, etiam jus largitus est, turrim struendi et campanas parandi; Int. 20. Febr. 1787, quo, sublato contrario Intimato, Ludimagistros a dicendis concionibus arcente, statuit, ut praeceptoribus a Superintendente exploratis testimonioque dexteritatis instructis, pro concione dicere et preces praelegere liceat, et Protestantes solvantur officio, celebrandi festa Catholicorum, excepto die Theophorico, quo laboribus abstinere et fornices clausos habere jubentur; Intimatum d. 29. Jan. 1788, quo Josephus simultaneum cultus divini publici commendavit, optans videlicet, ut in iis locis, in quibus stante templo unius e tribus Confessionibus, prius quam quaepiam harum familiarum consilium de aedificando novo templo ceperit, periculum fiat, nonne diversae partes in uno eodemque templo adhibendo coalescere possent; Int. d. 5. Aug. 1788, quo Imperator praecepit, ut Evangelici, loca filialia inhabitantes, Pastori pro sacris muniis peragendis arcessendo, vecturam praestent; Int. d. 27. Maji 1789, quo filios Pastorum Aug. et Helv. Confessionis a Taxa Scholastica immunes declaravit. Huc praeterea referri merentur Edicta, in causa funerum prodita, veluti d. 13. Sept. 1785, quo etiam locis, quibus privatus solum sacrorum usus est admissus, venia datur cantum tempestate funerum adhibendi; diei 24. Jan. 1786, quo beneficium hocce etiam ad filias extenditur; d. 20. Febr. 1787, quo sermones funebres, etiam extra oratoria, permittuntur.

Stolam quoque Josephus Pastoribus Evangelicis lubens addixisset, si per Clerum licuisset. Sed quoniam hicce obstabat; Intimato sextae Nov. 1783 eandem Parochis Romano-Catholicis ultra dissolvi imperavit. Intimato hocce abusi Parochi, Stolam, etiam in iis locis, quibus ante nunquam pendebatur, poscebant. Qua de re cum Nostrates quererentur, Caesar Intimato d. 14. April. 1784

a Stola, ubi tempestate promulgati edicti Tolerantiae Parochis Catholicis non reddebatur, Nostrates absolvit; sed tamen actus Ministeriales Parocho Romano-Catholico indicari jussit. Intimato d. 25. Julii 1785 Josephus V. D. Ministros Acatholicos etiam iis in locis, in quibus privatum religionis exercitium primum fuit introductum, a Stola immunes pronunciavit. — Quod in specie Stolam pro baptismate dissolvendam attinet, hanc Josephus an. 1783 et post Intimatis 21. Martii et 9. Maji 1785 generatim abrogavit; sed Intimato 6. Decembris 1785 indicavit sublationem hanc nonnisi ratione Catholicorum valere: Intimato diei 20. Febr. 1787, edixit Caesar, abrogata Stola non esse necessum, ut Pastor Evangelicus Parocho Romano-Catholico baptismum, quem peregit significet, modo nomen infantis lavacro sacro abluti Matricae accurate intulerit. Quoniam tamen Stola baptismi anno 1783 nonnullis in locis sublata, post Intimatum d. 6. Decembris 1785 amplius reduci non poterat: Imperator Intimato d. 3. Jul. 1787 animarum Curatoribus Acatholicis jus tribuit ratione compensandae Stolae baptismalis, cum coetibus sacris, quibus praesunt paciscendi.

Leopoldo II. (a d. 15. Nov. an. 1790 ad d. 1. Martii 1792) imperante, condita est in Comitiis anno 179$\frac{0}{1}$ Posonii celebratis, inter vehementissimas Cleri, et qui ejus erant partium, intercessiones et contradictiones, secundantibus tamen Regis consilia multis Romano-Catholicis Primoribus, *Lex religionaris*, (quae Pacificationem Viennensim anni 1606 et Lincensem anni 1645, Articulis Comitiorum anni 1608 et 1647 inter Regni Leges relatas, pro basi habet) Articulo XXVI. declarata. Lex haec Jura et Beneficia Acatholicorum, nec non eorum ad Religionem et Ecclesiam Romano-Catholicam rationem punctis XVII. ita finit, ut non solum ea stipuletur, quae Josephus Edicto Tolerantiali concesserat, sed iis plura etiam commoda, quibus olim fruebamur, addat. Quoniam Exemplaria hujus

Legis typis exscripta omnium manibus versantur, copiose eam exscribere supervacaneum censuimus.

Fructus illius legis erat, quod a d. 13. Jun. an. 1791 Nostrates Parochis Romano-Catholicis Stolam, Lecticalia, aliaque Praebita pendere cessarunt, et quod Intimato d. 6. Aug. 1791 edito Evangelicis in Hungaria Pestini celebratio Synodi fuerit permissa, quae praesente Commissario Regio, Comite Josepho Brunszvick a d. 12. Sept. usque decimam quartam Oct. ejusdem anni durabat. Nisi Leopoldus praematura morte (d. 1. Mart. 1792) fuisset exstinctus, forsitan jam Pastoribus nostris Salaria ex aerario publico numerarentur. Hoc certe consilio clementissimus Rex, Intimato d. 20. Jan. 1792 inquiri praecepit: quis sit aerarii in singulis civitatibus et oppidis status? quis incolarum uniuscujusque religionis numerus? et quantum Evangelici tributi nomine solvant?

Legis religionariae anno 179$\frac{0}{1}$ latae auctoritatem *Franciscus quoque I.* nunc gloriose regnans confirmavit. Hujus Principis, veri patris patriae, tanta est gratia tantaque in nos benevolentia, ut neque ipse injuriam nobis inferat, neque eandem nobis imponi velit. Sed quoniam negotiorum causarumque nostrarum Rectio Foris et Dicasteriis, in quibus Clerus et qui cum eo faciunt, prima tenent, credita est: identidem fit, ut Edicta, Rescripta, Intimataque proponantur et vulgentur, quae cum lege conciliari nequeunt. Prouti priscis temporibus Clerus summo studio in eo elaborabat, ut omnes leges seculi XVII. nobis propitias sensim convelleret: ita a postremum condita lege religionaria nihil habuit antiquius, quam ut hujus legis subverteret auctoritatem. Hac vero in re tam feliciter versabatur, ut nullum amplius laudatae legis punctum inviolatum perstet. Fatale inter alia et exitiosum Intimatum inscio Rege et tamen ejus nomine d. 25. Sept. 1792 fuit vulgatum, quod jus Apocharum (vulgo Reversalium vigorem), quoad liberos omnes in matrimoniis mixtis progeni-

tos in religione Romano-Catholica educandos confirmat; liberos, quos lex placitis Ecclesiae Romanae imbui jubet, si in religione hacce non instituerentur, parentibus etiam auctoritate magistratus vi adimi decernit; ut omnes et singuli, qui in Catholica religione educandos, vel quoscunque alios Catholicos ad Oratoria adducunt, vel talia ingredi volentes non impediunt vel quacunque demum alia ratione seducunt, si nobiles fuerint mulcta, sin ignobiles poena carcerum, imo gravioribus etiam suppliciis, adficiantur statuit; ut V. D. Ministri, qui admissionem hominum, sacris Catholicis initiandorum, ad divina Evangelica, vel sacrae coenae usum ignorantia excusant, mulctentur sancit, denique imperat, ut omnes illi poenas dent, qui a religione Catholica desciscere liberum esse pronunciant, vel aliquem ad deficiendum persuadere tentant, vel etiam obtrudendis libris Catholicos depravare nihili ducunt. Seriori quoque tempore multa Intimata ad nos fuere dimissa, quae legi praejudicium inferunt. Huc referimus Intimatum diei 24. Sept. 1816, quod celebrationem Conventuum Generalium et Districtualium sine Commissario Regio prohibuit; serius autem (d. 20. Nov. 1817) minimum Actorum Commentarios (Protocolla Conventuum) Excelso Consilio submitti praecepit, et mixtos Generales Conventus August. et Helvet. Confessioni Addictorum haberi vetuit: Intimata d. 13. Aug. 1810, 23. April. 1811, d. 4. Jan. 1812, quae conjugum per Pastorem Evangelicum copulatorum Recopulationem seu novam matrimonii inaugurationem eo in casu per Parochum Romano-Catholicum peragendam ordinant, si quid juris in alterutrum vel utrumque conjugem Romana Ecclesia sibi vindicat; Intimatum d. 22. Aug. 1815, quod nostros Superintendentes Episcoporum titulo uti et nostras Superintendentias Episcopatus nuncupari vetat; Intimatum d. 24. Aug. 1819, quod Elenchos introducit, h. e. Ministros Evangelicos Apocha cavere jubet, quod homines quorum, tamquam ad

Ecclesiam Romanam pertinentium, indices Parochi, Romano-Catholici exhibebunt ad communionem sacrorum Evangelicorum admissuri non sunt; Intimatum diei 23. Decbr. 1816, quod Societates Philobiblicas prohibet; Intimata d. 13. Aug. 1810, d. 23. April. 1811, d. 14. Jan. 1812, quae Neosponsos parentibus Catholicis natos, etiamsi semper sacra Evangelica fuerint professi, matrimonium coram Parocho Romano-Catholico inire jubent; Intimatum diei 12. Decbr. 1820, quod contra jus et fas atque contra sententiam aliorum Edictorum, quorum auctoritate partui uterum sequi licebat, nothos patre Catholico progenitos (licet hic ad prolis educationem nihil conferat), patris religionem sequi praecipit.

Longe aliter judicabat rex aequissimus, ubi quid sponte sua, vel non auditis rei nostrae adversariis instituit. Hoc enim in casu semper liberalem se praestitit. Patet id v. c. ex Rescripto 31. Maji an. 1793, quo declarat, quia nomen haereticorum ad Evangelicos referri nequit: jusjurandum quo sese Episcopi ad haereticos exstirpandos obligant ad Evangelicos non pertinere, nunquam se admissurum esse, ut quispiam religionis causa a civitatis vel collegii (Zunft) jure excludatur; justum esse ut mulctae, quae opificibus irrogantur, si illi Evangelici fuerint, aerario coetuum Evangelicorum inferantur. Aliud aequitatis Francisci monimentum praebet Intimatum d. 8 Oct. 1799, quo sancitur, ut si quid ex aerario domestico civitatis factis impensis publicis et praestita Ecclesiis Parochialibus, Scholisque Romano-Catholicis rata parte, manet: Evangelicae Confessioni Addictis, pro ratione capitum aerariique virium subveniatur. Eodem Intimato fundi quoque Coetuum Evangelicorum in liberis Regiisque civitatibus et Sedecim Oppidis Scepusii a tributo et oneribus civilibus liberantur. Huc porro referrimus Intimatum d. 8. Jan. 1793, quod legationes mixtas, in negotiis religionis Inquisitiones peracturas, admittit, et Intim. d. 10. Aug.

1795, quod Opifices Evangelicos obligatione sacra Catholica sublevandi solvit. Summam quoque praedicationem et laudem meretur optimi principis facilitas in tribuenda Nostratibus potestate Solemnia secularium Sacrorum per Lutherum emendatorum tertium recurrentium anno 1817 celebrandi. Neque fas foret silentio praeterire Immunitatem Magistratui nostro Ecclesiastico d. 10. Jun. 1823 concessam, gratuito mandandi cursui publico literas, in rebus Ecclesiasticis quoquam perferendas. Haec quidem ad Ecclesias pertinent.

Sed *Scholarum* quoque Francisco dominante percensendi sunt nobis casus. Post conditum anno 179$\frac{0}{1}$ Articulum XXVI. fas erat ibi locorum, ubi Catholici Scholis carebant, etiam liberis Catholicis parentibus natis, Evangelicorum adire ludos. Intimatum diei 16. Oct. 1793 facultatem hancce non abolevit quidem, sed tamen praecepit, ut Catholicorum nati, aut in religione Catholica educandi, Scholas Evangelicorum frequentantes tempestate praelectionum vel examinum ex religionis doctrina institutorum, ex Schola dimittantur. Quoniam vero Scholae Evangelicae propemodum ubique ita bene erant constitutae, ut juventus in illis in optimis artibus egregie proficeret: factum est, ut pluribus in locis Catholici quoque parentes, liberos suos ad Scholas Evangelicas mitterent. Clerus id invido oculo intuitus effecit, ut Nostrates Intimato 12. Septbr. 1797 Studiosos Catholicos ad Scholas Evangelicas sine peculiari venia Regis recipere prohiberentur, altero vero Intimato diei 5. Decbris. 1798. liberi parentibus Romano-Catholicis nati, a Scholis Evangelicis iis in locis, in quibus Scholae Catholicae adsunt, arcerentur, imperareturque ne juventus Catholica ad Scholas Evangelicas inscio Parocho admittatur. In eamdem sententiam concepta sunt Intimata d. 19. Decbr. 1820 et 31. Aug. 1824, quibus severissime interdicitur, ne Juvenes Catholici ad Scholas Evangelicas accipiantur.

Verum alia ex parte aequitatem suam etiam in Evangelicos testaturus Rex, Intimato d. 18. Oct. 1799 sanxit, ut Evangelici ex aerariis oppidanis habita ratione numeri incolarum si quid residui manet, in subsidium Stipendiorum Scholae docentibus largiendorum partem capiant.

Systema Studiorum pro Romano-Catholicis praescriptum, Rex Intimato septimae Augusti a. 1807 etiam in Scholis August. et Helveticae Conf. Addict. — dempta religionis doctrina — introduci voluit. Sed postquam sibi persuasisset postulationem hanc Legi religionariae repugnare, ab ea sponte sua recessit atque Intimato nonae Jan. 1819 Evangelicos in Coordinatione rei suae Scholasticae institutionisque modo ultro reliquit, id solum poscens, ut quovis semestri relationes de progressibus Studiosorum in moribus et literis, quales ratione juventutis Catholicae sunt praescriptae, etiam Professores Scholarum Evangelicarum praestent; alio autem Intimato d. 19. Decbr. 1820 praecepit Rex, ut Professores nostri Relationibus his religionem cujusvis Studiosi accurate indicent.

Celebrationem quoque *Examinum et tempus Feriarum Scholasticarum* Rex Intimato diei 25. Julii an. 1820 ita praescripsit, ut Examina quidem mensibus Martio et Augusto haberi juberet, Feriis autem Scholasticis mensem Septembrim et Octobrim adsignaret, anni denique Scholastici initium, in mensem Novembrim ineuntem transferret. Sed et ab hoc Jussu serius recessit; etenim Intimato d. 22. Martii 1825 celebrationem Examinum et Feriarum Scholasticarum arbitrio Superintendentiarum reliquit.

Quoniam Regi *peregrinatio ad Academias exteras* literarum causa molesta, sumtuosa et tamen parum proficua videbatur: Intimato d. 18. Nov. 1806 Superintendentias provocavit ad opinionem depromendam, qua ratione Studium Theologicum Posonii constituendum coordinandumque foret. Quum vero Nostrates legi, quae nobis fa-

cultatem Universitatum Germaniae adeundarum stipulatur, inhaerentes, sententiam suam manifestare procrastinarent: Intimatis diei 12. Julii 1808 et 10. Julii 1810 ad accelerandum negotium provocabantur. Et quamvis votorum suorum ne nunc quidem damnaretur Rex atque indies magis Studium tale Posonii condi optaret: tamen semper adhuc Studiosos nostros a salutandis Universitatibus exteris arcere cavit; imo eas invisuris hunc quoque favorem Intimato diei 12. Nov. an. 1812 concessit, ut si a Jurisdictione civili cui subsunt, paupertatis testimonium producere possent, a pretio pro literis liberi commeatus pendendo immunes manerent. Cum vero seriori tempore Studiosi Academiae Jenensis et Gottinganae licentiae accusarentur: quamvis Hungari Academiarum harum cives manifesto extra culpam essent: tamen Rex Intimato 24. Nov. 1818 Regnorum suorum cives aditu harum Universitatum prohibuit, reliquis Academiis interim in salvo relictis. Sed cum brevi post fama de demagogicis motibus per Germaniam gliscentibus orbem percrebesceret: Rex terrarum suarum Incolas, contra contagionem muniturus, Intimato d. 4. Maji 1819 et denuo d. 29. Oct. 1821 exitum ad omnes Germaniae Universitates prorsus vetuit, neque ullis Nostratium iteratis precibus exorari poterat, ut nos in legitimo hujus juris usu conservaret.

Ut vero aliqua ratione jactura potestatis exteras invisendi literarum Universitates nobis pensaretur, ipse Imperator ad condendum *Vindobonae* sumtibus aerarii regii *Studium Theologicum* animum adplicuit. Patefecit consilium hocce suum Nostratibus mense Septembri anno 1819. Eodem anno festo Nataliciorum Jesu Christi, Joannem Wachter Superintendentem et Viennensis Ecclesiae Evangelicae Pastorem, Studii hujus Directorem constituit; brevi autem post anno 1820 ineunte Salaria sex Professorum ita finivit, ut duo quidem per 1500, duo per 1800, duo denique per bis mille Florenos caperent. Volebat tamen

Rex, ne praeter casum necessitatis Professores alii, quam ex terris Imperio Austriaco obnoxiis oriundi sint. Jussit praeterea quovis semestri Examina institui, et Juvenes de progressibus in literis et moribus testibus literis provideri. Cursum denique Studiorum ad triennium extendit. His ita praeparatis die 4. Jan. 1821 Instituti hujus Theologici sator, Joannem Genersich et Georgium Venrich Professores nominavit, quibus seriori tempore plures alios sociavit. Professores hi die 2. Aprilis eodem anno Institutum habendo Scholas (praelectiones) aperuerunt. Ut autem in metropoli hacce victum et commorationem faciliorem redderet Imperans, ipse d. 31. Aug. 1824 in emolumentum triginta Studiosorum Theologiae, Stipendia ita condidit, ut eorum octo quinquaginta Rfnos, alios decem octuaginta, reliquos denique duodecim centum monetae argenteae percipere vellet.

Pro coronide liceat observare Instituta literaria inprimis altiora Evangelicorum in Hungaria, ex aerario nulla ratione juvari, sed partim usura proveniente ex capitibus, pedetentim per privatorum dona congestis, partim symbolis pecuniae alimentorumque, quae hodie quoque Nostrates opulenti conferunt, et Professoribus praemia decerni et juvenes pauperiores in alumneis atque Convictibus jam gratuito, jam vili pretio ali. Ut vero amplius adhuc indigentiis Professorum et Studiosorum subveniretur, conditus fuit in Superintendentia Tibiscana in Conventu mense Octobri anno 1811 Nyiregyházae celebrato, *Fundus*, quem vocant, *Studiorum*, cujus reditibus Professores et Studiosi, Alumnei cives, in Scholis altioribus juvarentur. Opitulatur praeterea Studiosis nostris minus beatis legatio *Joannae Reth*, quae centum mille Rfnos eo fine Scholis nostris altioribus tribuit, ut ex hujus Summae fenore, sexaginta vel centum juvenibus Alumnis in duobus quidem trientibus nobili, in uno vero minus illustri loco natis probitate morum et diligentia conspicuis, Stipendia decernerentur. Accessit emo-

lumentis his anno 1815 *Fundatio Joannis Jettin*, qui pro pauperibus Studiosis sese probantibus nulla religionis ratione habita Stipendia decem 180 Florenorum, alia decem 150 Florenorum, septem denique centum Florenorum constituit. Ad partem in Stipendio hocce capiendam Nostrates quoque, quamvis admodum pauci admittuntur. Habet denique singulum propemodum Lyceum et Gymnasium peculiaria Legata sublevandis juvenibus destinata.

Narrationem hanc casuum et vicissitudinum Ecclesiae Evangelicae in Hungaria si attenta mente revolvimus, nullo modo dissimulare possumus conditionem patriae civium, formulam sacrorum a Luthero constitutam probantium, maxime a stabilito anno 1608 publica Regni legum auctoritate libero sacrorum jure in universum flebilem miserandamque fuisse. Ab illo enim tempore ad hunc usque diem, nunquam stabili pace et ea prosperitate fruebamur, quam et communis sensus exigit et leges patriae, ad quas observandas Reges jurejurando obstringere solemne est, nobis stipulantur. Induciae solum breves fuere, quas interdum Clerus Romano - Catholicus cum gregalibus suis nobis concessit, non diuturna quies. Valet id maxime de illo intervallo, quod Comitia anni 1608 et mortem Mariae Theresiae intercessit. Toto namque hoc temporis spatio tanto studio, tanto fervore, tantisque artificiis in nobis legitimis Juribus et Beneficiis exuendis laborabatur, ut laudata Regina de vita migrante, vix umbra privilegiorum nobis publica auctoritate concessorum restaret.

Legibus quippe Omnibus Statibus et Ordinibus, Civitatibus, Oppidis Vicisque per Universum Regnum copia dabatur, quamcunque religionem e tribus receptis Romano - Catholica nempe, Augustanae et Helveticae Confessioni Addicta, amplectendi et profitendi (Pacificatione

Viennensi; Articulo 1. Comit. anni 1608; Articulo 77.: 1618; 22.: 1625; 33.: 1630; 29.: 1635; 25.: 1681; Diplomatis Ferdinandi II. Conditione prima et sexta, Ferdinandi III. Cond. I., Leopoldi I. Condit. 1 et 6.). Enimvero facultas haecce temporum decursu prorsus erepta fuit, partim eo quod ediceretur nefas esse formulam fidei Ecclesiae Catholicae deserere, et qui ab ea desciverant, maleficorum loco haberentur, etiamsi Nobiles fuerunt, nulla praemissa Investigatione in vincula conjicerentur nefarieque excruciarentur, Pastores vero, qui homines, quos Ecclesia Romana ad se pertinere ajebat, ad communionem sacrorum Evangelicorum admittebant, vel mulctarentur, vel carcere conderentur, vel munere orbarentur, partim eo, quod Nostrates in libris dogmatici, symbolici et historici argumenti typis exscribendis, vel peregre invehendis impedirentur; partim eo, quod orbi, ut eo facilius ad deserenda sacra Evangelica perduci possent, Tutoribus Romano-Catholicis traderentur; partim eo, quod ex locis Turcorum dominio subductis, Pastores et Ludimagistri ejicerentur, Oratoria vero vel occuparentur, vel solo aequarentur.

Lege ad liberum religionis exercitium possessio quoque ut usus Templorum, Turrium et Campanarum referrebatur (Pacificatione Lincensi et Articulo 1. Comit. anni 1647). Jam vero introducto publicum inter et privatum religionis exercitium discrimine, beneficium hocce nonnisi paucis locis, publico religionis exercitio gaudentibus concedebatur, aliis locis in Templis struendis vel instaurandis obices ponebantur.

Lex ad munera quaecunque altiora humilioraque Evangelicis quoque aditum patefecit (Pacificatione Viennensi; Art. 9. et 10. Comit. anni 1608; Diplomate Ferdinandi II. Cond. 1. 3. 4., Leopoldi I. Conditione 1. 3. 4.). Sed formula jurisjurandi decretalis, Nostratibus omnem ad honores viam praeclusit.

Lex Templa Evangelicis adimere et eorum Pastores sedibus expellere vetuit, ejectos reduci vel eorum vice alios substitui permisit (Pacificatione Lincensi Condit. 3. 4., Diplomate Leopoldi Condit. 1. Articul. 25. 26.: 1681). Hanc tamen etiam Legem designatio locorum Articularium, abusus formulae „salvo jure dominorum terrestrium," et dilatatio finium regni, qua multa loca, olim in confiniis sita, medium regni occuparunt omni exuit auctoritate. In locis Non-Articularibus Evangelicis nefas fuit Pastorem suae religionis arcessere ejusque opera uti. Templa tanta cum ferocitate occupabantur, ut ab anno 1681 ad 1763 amplius 540 fuerint erepta.

Lex declaravit publici religionis exercitii partem, Scholarum quoque jus constituere (Artic. 10. et 13.: 1647; 26. Art.: 1681). Attamen jus hocce violatum fuit restringendo Scholas nostras ad Grammaticalia, offerendo difficultates in adeundis exteris Academiis, adimendo ad arbitrium libros peregre adlatos.

Lex veniam dedit loca filialia in matres evehendi (Additam. ad Art. 6. et 7.: 1647). Sed Clerus ut filiarum quoque Stolam ad se pertraheret, matre ad sacra Catholica deficiente, filiabus jus peculiarem coetum constituendi concedere tergiversabatur.

Lex Evangelicos universe — igitur Opifices quoque — a caerimoniis et actibus religionis Evangelicae placitis dogmatibusque contrariis immunes pronunciavit (Artic. 8. Com. 1647; 25: 1681, Diplomatis Ferdinandi II. Cond. 2. Leopoldi I. Cond. 1.). Verum enimvero hicce Legis favor circumvolventibus annis Nostratibus, inprimis opificibus, qui praetextu Privilegiorum collegiis (Zünfte) concessorum, ad caerimonias et actus suae religioni contrarios, imprimis ad pompam sacram (processiones) compellebantur, parum profuit.

Lex Evangelicos a Stola Catholicis, Catholicos ab

eadem Evangelicis dissolvenda liberavit: Articulo 11. 12.: 1647; 26: 1681): Clerus tamen in omnibus locis, in Articulis diserte non commemoratis, Stolam sibi vindicabat.

Lex Magnatibus et Nobilibus integrum liquit in arcibus sedibusque eorum Sacella erigendi eaque dotandi (Articulo 26.: 1681). Verum adversarii sacella haecce omnibus, qui non ad familiam aulamque talia Sacella possidentium pertinebant, etiam nobilibus atque rusticis Evangelicis eodem loco viventibus, aperire vetarunt.

Lex interdixit rusticos in usu sacrorum impedire turbareque; iis vero, qui vi ad alia sacra probanda fuere adacti, jus dedit ad pristinam fidei formulam redeundi (Diplomat. Ferdinandi II. Condit. 6., Ferdinandi III. Condit. 6., Leopold. I. Condit. 6. Pacificat. Lincensi Art. 2.). Sed Territorii Domini Catholici abutentes formula: „salvo jure dominorum terrestrium,“ quam de dominio in conscientias interpretabantur, hancce legis auctoritatem prorsus eluserunt.

Lex religionis negotia per Cognitores (Commissarios) utriusque Confessionis tractari, expendi, componique praecepit (Art. 13.: 1647; Art. 12.: 1649; Art. 30.: 1718). Jam vero in temporum decursu Nostrates ab omni Investigatione in rebus religionis omnino removebantur, Actorum Commentarii (Protocolla) iis non communicabantur. Apologiae, defensiones, purgationes non acceptabantur.

Lex Evangelicos in causis matrimonialibus eorum religionis Praepositorum judiciis subjecit (Art. 1. et 2. Com. 1608; Artic. 15. Comit. anni 1647, Diplomatis Leopoldini Conditione 1. et 6.). Resolutio tamen Carolina causas has Judiciis Episcoporum Catholicorum detulit.

Lex Statibus Evangelicis potestatem tradidit legendi Superintendentes, causas matrimonii examinaturos, Recen-

sionem ecclesiasticam coetuum peracturos, Ministrorum doctrinam et mores inspecturos Art. 1. Com. anni 1608; Articulo 1. Com. anni 1618; Art. 5.: 1647, Diplomatis Ferdinandi II. Cond. 1. et 6.; Ferdinandi III. 1.; Leopoldi I. 1. et 6.). Attamen Resolutio Carolina 6. Apr. 1631 Superintendentes jure causas matrimonii cognoscendi et coetus spectandi, exuit.

Lex Nostratibus auctoritatem fecit querimonias communes in publicis regni Comitiis proponendi (Diplom. Ferdinandi III. Cond. 4., Leopoldi I. Cond. 1.; Art. 10. Com. an. 1649; Art. 18.: 1655). Sed serioris temporis Edicta Rescriptaque Nostratibus libertatem abjudicant communi nomine sive ad Comitia, sive ad thronum profugiendi.

Lex omnibus Regni incolis, Hungaris, Germanis, Bohemis et Slavis veniam dedit in omnibus Lib. Regiisque ac Montanis Civitatibus et Oppidis sine ullo religionis vel nationis discrimine, domos et fundos emendi, poena bis mille Vflor. in eos, qui obices ponerent, statuta: Enimvero contra hanc legis sententiam, nonnullis Civitatibus et Oppidis privilegia sunt concessa, quorum auctoritate Evangelici a civitatis jure excludebantur, unde fiebat, ut si in locis talibus bona immobilia ad eos fuere devoluta, haec Resolutione 25. Sept. 1767 venundare juberentur.

Quod jam ad recentiorem aetatem attinet, grati in Deum agnoscimus Josephum II., Leopoldum II. et Franciscum I. omni studio et contentione in damnis, nobis temporum injuria illatis reparandis elaborasse; fatemurque nos eorum liberalitati et clementiae innumera beneficia, quorum memoriam piam: nulla temporis diuturnitas obliterabit, referre accepta. Celare tamen non possumus Cleri culpa, cujus indomitam licentiam et nos exagitandi libidinem, ne Regum quidem cohibere compescereque poterat

auctoritas et potentia, continuas nobis infligi plagas. Quali etiamnum in nos odio feratur, quantopere nos despicatui habeat, vel eo comprobat, quod aedes nostras sacras quas leges regni Templa vocant, pertinaciter contemtim Oratoria nominet; nostris Pastoribus quos sola Clarissimorum adpellatione dignatur, titulum Reverendorum deneget; nos non secundum legis sententiam receptos, sed toleratos identidem habeat, neque fratres fideique consortes sed Acatholicos nuncupet atque omnino si qua ratione nocere, detrimentumque inferre potest, faciat lubentissime. Cum in primis Regni Dicasteriis locum cum suffragio habeat, summosque gerat magistratus, ejus potissimum culpa fit, quod frequenter Resolutiones edantur, nomine quidem Majestatis sed nonnunquam inscia Majestate (ut d. 25. Sept. 1792) nobis exitiosae. Ille Legem religionariam infinitis Intimatis Explanationibus, Restrictionibus perfringit. Ille constanter ad legem provocanda, in applicatione legi arbitrium substituit. Ille cavet ne preces nostrae ad thronum penetrent, neve eo perlatae audiantur. Ille impedit quominus Acta Synodi ante hosce 34 annos celebratae, regiam nanciscerentur confirmationem. Etiam in magistratus ordinis inferioris tantum est Cleri momentum, ut illi hujus favores et benivolentiam captent detorquendo saepe iniquissime sensum legum nobis patrocinantium opponendo impedimenta in legibus, ad casus obvios traducendis, protegendo et impunes dimittendo eos, qui nostras libertates labefactant nobisque acerbam inferunt injuriam, supprimendo Rescripto principum nobis utilia, tardando denique in exsequendis Mandatis regiis, nobis suffragantibus.

Incredibilis est copia malorum, quae hodiedum non quidem omnes, et singulos Nostratium, neque ubique locorum, sed tamen habita Ecclesiae nostrae ratione in universum, nos premunt.

Lex nos quoque munerum capaces pronunciavit: No-

strates etiamsi Romano-Catholicos dexteritate et rerum gerendarum peritia superant, aegre iis admoventur. In Summis Regni Dicasteriis, iis potissimum, quae negotia nostra regunt, nostrasque judicant causas, atque a quibus salus nostra nimium quantum pendet — Cancellaria puta et Consilio — vix unus alterve est Evangelicus, unde fit, ut nostri accusatores et oppressores, simul sint et erga nos testes, et nostri Judices. In bonis Camerae Officialem Evangelicum reperire, res rari est exempli.

Lege cautum fuit ne vocemur ad observandos ritus, religioni nostrae contrarios: Nos diversis sub praetextibus hodiedum ad caerimonias Ecclesiae Romanae, in his ad Theophoricas, quas vocant processiones, invitamur, et festa Catholica celebrare id est otio aut heluationi litare jubemur.

Lege jus civitatis, et collegiorum (Zünfte) per universum Regnum nobis tribuitur: Nostratibus in nonnullis civitatibus et oppidis utrumque diu negabatur et hodie quoque sine difficultate, hic illic conceditur.

Coemeteriorum usum Lege (et Intim. d. 12. Aug. 1788) habemus admissum: Nostratibus nonnullis in locis in coemeterio Catholico sepultura negatur, ne sacrata Catholica terra per cadavera Evangelica profanetur.

Lex liberum usum et quaestum librorum ad religionem et pietatis exercitia pertinentium concedit: Nos et in typis exscribendis hujus generis libris per Censores Romano-Catholicos vexamur et in iis divendendis impedimur. Multa certe millia Exemplarium bibliorum, Hungarico et Slavico sermone conscriptorum, publica auctoritate occupata in pulveribus sepulta Posonii jacent, neque nobis fas est Biblia ipsis Nostratibus sive donare, sive vili pretio vendere.

Apochae (Reversales) de omnibus liberis in matrimoniis mixtis progenitis aut generandis in religione Romano-

Catholica educandis, Lege (et Intimatis 1792 d. 20. Nov., item 1793 d. 12. Febr., item 1793 d. 27. Jun.) sunt prohibitae. Enimvero Stipulationum talium auctoritas denuo ea declaratione est restituta, quod non quidem debeant, possint tamen dari. (Int. d. 12. Oct. 1807.) Stabilita hac ratione illarum Apocharum vi, frequenter jam accidit, ut sponsus Evangelicus ante matrimonii inaugurationem ad eas subscribendas omnibus modis et artibus jam alliceretur, jam cogeret; imo non desunt Exempla Reversalium ibi quoque confictarum, ubi nullae unquam fuerunt exhibitae.

Reditus beneficiorum, quae Regalia vocamus, in Civitatibus et Oppidis etiam Evangelicos concernere Intimato d. 15. Febr. 1793 declaratur: Nostrates paucissimis in locis ex aerario publico sublevantur, quamvis passim plus, quam alterius Ecclesiae consortes, ad vectigal contribuant.

Lex Nostrates a laboribus et operis circa Catholicorum Templa aliave aedificia Ecclesiastica et Parochialia praestandis liberavit: neque tamen desiderant exempla hujus generis onerum, nobis injunctorum.

Scholae nostrae lege publicam sunt sortitae auctoritatem, atque in iis docendi et argumentum et ratio nostro arbitratui est relicta: haec tamen Scholarum nostrarum auctoritas eo subvertitur, quod Catholicis parentibus integrum non sit liberos suos ad nostros ludos publicos mittere, aut privatae institutioni nostrorum Studiosorum et Candidatorum credere.

Lex liberum nobis ad Universitates Germaniae aditum stipulatur. Enimvero simulatione muniendi nos contra contagionem demagogicorum principiorum et motuum, qua lue Germaniae Protestantes infecti esse praetenduntur, a Germaniae Academiis ab annis arcemur, quamvis in vulgus constet, motus non in Protestantium, sed omnes in

Catholicorum terris — Gallia, Hispania, Portugallia, Neapoli, Italia — aetate nostra erupisse.

Vetitum est Evangelicos haereticorum compellatione notare, ipseque rex solenniter declaravit, Jusjurandum, quo Episcopi ad haereticos exstirpandos obligantur, ad Nostrates non spectare: Nos perbene sentimus sub haereticis nos intelligi, quia nihil intentatum linquitur ut Nostratium copia minuatur. Etenim malefici Evangelici — quorum tamen numerus est perexiguus — si Evangelica sacra deserunt vel inulti dimittuntur, vel leviuscule plectuntur. Dum tyrones militiae sunt addicendi, Nostrates potissimum leguntur. Liberi in mixtis matrimoniis nati diligentissime observantur, quanam in religione educentur. Homines, quorum vel majores nonnisi fuerunt Catholici, vel qui ipsi ab ineunte aetate constanter religionem Evangelicam probarunt, omnibus torminibus ad nomen ritui Romano dandum exagitantur, Pastoribusque nostris lis intenditur, si homines tales sacris Evangelicis interesse permittunt. Sex hebdomadarum institutio, pro iis ordinata, qui sacra Evangelica amplectendi veniam nancisci cupiunt quater et quinquies iteratur atque in decennium et ultra producitur, ut supplicantes morae et vexationum pertaesi, transitui renuncient. Liberi, quos in religione Romano-Catholica educari debere praetenditur, parentibus mox clam et furtim mox vi armataque manu rapiuntur, tametsi Intimatum d. 7. Nov. 1786, d. 17. Sept. 1799 et 26. Aug. 1816 impuberes Judaeorum liberos abduci et invitis parentibus tutoribus atque Curatoribus baptismi ritu initiari vetaverit. Quodsi vero interdum ita violenter abducti liberi, rege jubente parentibus restitui praecipiuntur: huic imperio saepe non modo nullus geritur mos, sed etiam eo inhumanitatis proceditur, ut parentes liberos de eorum amplexu avulsos invisere volentes, ab alloquio cari pignoris mox minis, mox verberibus adeo removeantur. Homines nunquam Catho-

licae religioni initiati, si pro iis habentur, qui religionis Catholicae principiis imbui debuissent, a dilectis suis uxoribus maritisve, nisi novam sibi copulam per Parochum Romano-Catholicum administrari curent, separari jubentur. Matrimonia inter personas ab ineunte aetate Evangelicas, si quid in eas juris ecclesia Romana sibi vindicat, legitime contracta, pro concubinatu, et proles in iis progenitae pro spuriis habentur. Homines qui neque pollicitationibus, neque minis permoveri possunt ad sacra Evangelica abjuranda in vincula conjecti, inter fures et latrones per annos tabescunt.

Augentur haec mala eo, quod adversarii nostri calumniis et falsis delationibus regnanti Terrae principi exosos nos reddere pergunt. Accusant quippe nos abjectae reverentiae erga id, quod in religione positivum est. Postulant nos inclinationis ad Deismum, Naturalismum, Rationalismum. Insimulant nos negligentiae librorum symbolicorum. Suspectam reddunt nostram fidem in Terrae principem. Arguunt nos periculosi rerum novarum studii. Compellant nos libertatis in religione abeuntis in effrenem ratione rerum civilium licentiam. Vocant nos in crimen inveterati in religionem et Ecclesiam Romano-Catholicam odii, persequendique cupidinis. Quod autem omnium tristissimum est, quamvis continuo lacessiti injuriis, Deum vindicem provocantibus: tamen cuncta patienter ferre cogimur, vix vel hiscere audentes. Eo enim jam adversarii nostri perduxerunt rem, ut non amplius Evangelici, aut Protestantes, sed Querulantes, qui nunquam sorte sua contenti temere et sine causa idonea querimonias jactant, in aula Imperatoria audiamus.

Utinam postremo intelligere vellent mortales facultatem de rebus ad religionem pertinentibus libere sentiendi, numenque ex animi sententia externe quoque colendi, ad prima naturaque insita adeoque sancta uniuscujusque ho-

minis jura pertinere, neque sine acerba atrocique injuria fieri posse, ut hac in re quispiam, modo nihil suscipiat fini civitatis adversum, violenter turbetur! Utinam nullus non falsam opinionem sibi excuti pateretur, Deo cultum praestari vexando eos, qui in ratione numen colendi, non nobiscum faciunt! Faxit omnipotens ipse ut tandem aliquando, qui diversam in religione profitenda sequuntur formulam, vim conscientiis inferre piaculum habeant et recogitent nefas esse alteri facere, quod nobis fieri nolimus, jamque incipiant mutuo amore, genuino Christi sectatoris indicio sese antecellere, probe memores caritate exercenda legis christianae impleri praecepta.

Sed utinam altera ex parte malorum, quibus premimur, periculorumque, quae praesentia cernimus et futura divinamur consideratio, nullum Nostratium ab animo in religionis et Ecclesiae nostrae salutem neutro vel aliento non revocaret, nosque omnes excitaret, ut Juribus Ecclesiae nostrae tutandis, conservandis, defendendis tanto diligentius studiosiusque invigilemus, quo magis in aprico est, continuas iis per adversarios insidias strui occasumque intendi. Utinam omnes ex animo aversemur et detestemur impium illud et malesanum omnibus placendi studium, eamque indignitatem, quae ut notam nimiae et superstitiosae religionis (Bigotterie) effugiat, in nefariam sanctissimorum Ecclesiae nostrae jurium violationem, ultro consentit.

Utinam denique Regi nostro liberalitate, aequitate et clementia per universum orbem celebrato, placeret calamitatibus hisce, quibus ingemiscimus, imponere finem homines Dioecesanos omnemque Clerum Romano-Catholicum ab Investigationibus ad rem religionis pertinentibus atque omne momentum in rem nostram Ecclesiasticam removendo, causasque nostras Judicio peculiaris Collegii, cujus Assessores pari numero ex viris Romano-Catholica et Evan-

gelica sacra sequentibus legerentur, subjiciendo. Tu autem, pater omnium rerum praepotens! flecte — supplices quaesumus — flecte benignissimi Imperantis animum, ut nos patriae cives, quorum fides intemerata, quorum reverentia profunda, quorum obedientia promta est, quique praecipuum throni fulcrum nunquam esse cessabimus, protegere beneficiisque mactare semper in lucro ponat.

HISTORIA ET INDEX
SUPERINTENDENTUM
EVANGELICORUM AUGUSTANAE CONFESSIONI ADDICTORUM
IN
HUNGARIA.

Quod Evangelici Hungari probe intelligerent ordinem esse animam rerum: mature sese Superintendentibus subjecerunt, qui reliquos Ministros cum auctoritate moderarentur. Tales Superintendentes seculo XVI. in ora Trans-Danubiana plures fuere. Eodem tempore in Contubernio Gömöriensi Cyprianus Friedt, Martinus Reinhardus et Joannes Rimanoviani militiae Sacrae Caesareae Majestatis in arce Murania concionatores, simul illius tractus Superintendentes fuerunt. Hi quidem Candidatos Venerabilis Ministerii in munus sacrum vix inaugurabant, Visitationem tamen Ecclesiarum instituebant; quod certe anno 1578 et an. 1596 in Valle Murania factum fuisse compertum habemus. Post Comitia anni 1608, quibus Nostratibus Superintendentes legendi auctoritas tributa est, Nostri in Synodo Solnensi anno 1610 celebrata, Georgio Thurzo, regni Hungariae Pro-Rege (Palatino), auspice, tres Superintendentes crearunt Decem Comitatibus Cis-Danubianis praepositos. Eodem Thurzone auctore in Synodo Váraliensi an. 1614 duo fuerunt nominati Superintendentes, alter quidem Ecclesiis Liberarum Regiarumque Civitatum Superio-

ris Hungariae, alter reliquis per Scepusiensem et Sarossiensem Comitatus diffusis coetibus sanctioribus praeficiendus. Sed cum posteriorem hunc — M. Stephanum Xylandrum, Ecclesiae Váraliensis Pastorem — Magistratus Polonicus, cui cum aliis duodecim Oppidis Scepusiacis eo tempore Váralia parebat, partes obire non permitteret, auctoritas ejus exspiravit, nullusque amplius in duobus hisce Comitatibus, praeter Liberarum Regiarumque Civitatum Praesulem, cooptatus fuit Superintendens. Etiam Gömörensi Contubernio Thurzo Diplomate 10. Julii an. 1610 potestatem fecit renunciandi Superintendentem. Sed Gömörenses Consistorio Semptaviensi adhaerentes, venia illa usi non sunt.

Ante persecutionem Leopoldinam Evangelici in Hungaria quinque habebant Superintendentes; unum quippe in partibus trans Danubium sitis, tres in Districtu Cis-Danubiano et unum Superintendentem Lib. Regiarumque Civitatum Superioris Hungariae. Sedata persecutionis tempestate, Trans-Danubiani usque ad annum 1742 Superintendente carebant. Exeunte seculo XVII. unus Jacobus Zablerus, Pastor Bartphensis, in universo regno supererat Superintendens Evangelicus A. C. Ineunte seculo XVIII. iterum plures constituti fuere Superintendentes, ordine tamen aliter, quam qualis ante obtinebat, instituto. Etenim in ora Cis-Danubiana duo solum electi fuere Superintendentes, quorum alter Comitatibus Zoliensi, Barchiensi, Magno Honthensi, Neogradensi, Parvo-Honthano praefuit; alter Comitatus Posoniensem, Nitriensem, Arvensem et Liptoviensem rexit. Regio Cis-Tibiscana duos venerabatur Superintendentes, alterum quippe Gömörense Contubernium renunciavit, alterum Liberae Regiaeque Civitates retinuere. Sed omnium horum Superintendentum auctoritas turbulenta hacce tempestate saepe ita nutabat, ut in demortuorum locum parum consultum videretur actutum alios substituere. Fecit tandem Carolus VI. Resolutione diei

20. Oct. 1734 Nostratibus potestatem quatuor Superintendentes legendi; qui venia hacce usi, uni Superintendentiae Trans-Danubianae Comitatus trans Istrum sitos, alteri Cis-Danubianae Comitatus Posoniensem, Nitriensem, Trenchiniensem, Arvensem, Liptoviensem, Thurocensem et Barchensem; tertiae Montanae Zoliensem, Magno-Honthensem, Neogradensem, Pestanum, Békessiensem, Báts-Bodrogensem nec non Ecclesias Banaticas; quartae denique Tibiscanae Ecclesias per Comitatus Cis- et Trans-Tibiscum dispersas adsignarunt. Cum hac ratione Tibiscanae orae duos Superintendentes habere nefas esset, Liberae Regiaeque Civitates antiquum jus suum missum facere atque cum reliquis per Districtum diffusis Ecclesiis ita transigere debuerunt, ut dehinc Superintendens per vices, jam e Germanica jam ex Slavica natione caperetur; qua de re liberas regiasque Civitates inter et Districtum pactio — de qua suo loco plura — die 11. Jan. 1743 Dopschae confecta fuit.

Copiose de Superintendentibus Evangelicis in Hungaria commentari, ab instituto nostro alienum est. Sufficiat notasse nomina, nonnullaque vitae momenta parce indicasse.

I. Superintendentes trans-danubiani. Hos omnium minime accurate percensere valemus. Eorum hic circiter ordo fuit:

A. *A prima origine usque ad Pastores in exsilium ejectos*:

a) *Ante Synodum Csepreghensem* an. 1591 celebratam, si eos excipiamus, qui meliori jure Reformatis accensentur, erant:

1. *Gallus Huszar*, Anaxius Ovarensis Pastor circa annum 1568 Superintendens.

David Chytraeus, Superintendens e Germania accitus, anno 1569 Ecclesias Araboni adjacentes spectabat recensebatque.

2. *Petrus Bornemissza*, Pestiensis — Pastor, si' certa est res, Gedgocensis, Szeredinus an. 1576 et circa annum 1587 Rarbokiensis, simul gentis Balassianae Concionator aulicus. Anno 1584 Postilla typis exscribi curavit.

3. *Demetrius Sybolthy* (Sibolthi). Redux Viteberga Jokajenses, Tyrnavienses et Senicenses docuit. Post Jaurinii sacris operabatur, ubi et Superintendentis honores gessit.

b) *Post Synodum Csepreghensem* an. 1591, qui Helveticae Confessioni Addicti ab iis, qui Augustanam Confessionem probabant, aperte secesserunt, Trans-Istrum Superintendentum vice fungebantur:

1. *Georgius Muraközy*, Pastor aulicus et Oppidanus in Sárvár, in Synodo Csepreghensi Pastores Augustanae Confessioni adhaerentes ad subscribendum formulae Concordiae permovit.

2. *Stephanus Magyari*, Comitis Francisci Nádasdy Concionator aulicus et Sárvárensis Pastor.

3. *Stephanus Klassekovits*, Pastor Nicopoliensis, circa a. 1612 ad Superintendentis honores perductus.

4. *Nicolaus Gönczius*, Pálházy Pastor Hegyfalussiensis, Levensis, Szeredinus et ab anno 1614 Ecclesiarum Hungaricarum — ut videtur — per Comitatus Posoniensem, Nitriensem, Jaurinensem et Barchensem Superintendens.

5. *Tobias Brunszvick*, Comitis Stanislai Thurzo, Regni Hungariae Pro-Regis, in aula Semptaviensi Concionator, anno 1620 ab Isaco Abrahamide et Joanne Hodikio in Superintendentem inauguratus. Anno 1622 Semptaviae Synodum celebravit, in qua XX Articuli de regimine Ecclesiastico conditi fuere, a Comite Stanislao Thurzo eodem anno d. 1. Sept. confirmati. Spatio interposito sacra Evangelica ejuravit, rituique Romano nomen dedit. Familia Comitum Bruszvik ab eo ortum trahit.

6. *Michaël Zwonarowits*, Sárvárini an. 1570 natus,

Pastor in Szakony, Czenk et Sárvár-Superintendentis provinciam ab anno 1621 — 1625 administrabat. Fuit quoque Comiti Paulo a Nádasd a Concionibus. Recessit a vita d. 27. Febr. 1625.

7. *Bartholomaeus Kiss*, Czenkini, apud Szakonienses et Sárvárini sacrorum antistes. In Conventu Csepreghini d. 6. Jun. 1625 celebrato Superintendentis gradum ascendit. Fuit etiam Comitis a Nádasd Concionator aulicus, sed per ejusdem filium Franciscum a sacris Evangelicis desciscentem, Sárvárino pulsus, apud Szent-Györgyenses vixit, et anno 1646 diem obiit.

8. *Stephanus Lethenyei* (Letenyey), Pastor Ecclesiae Csepreghensis.

9. *Gregorius Musaj* (Musay, Mussai), Pastor in Löwé, post in Nemes-Kér. Die 13. Aug. 1646 ad Superintendentis honores provectus an. 1664 mortuus. Edidit suorum Seniorum ope adjutus, Agenda Hungarica an. 1650 Samariae typis excussa.

10. *Georgius Fisstrovits*, Pastor Günszensis, a d. 11. Febr. 1665 Superintendens.

11. *Stephanus Fekete*, natalibus Szenicensis, sacris curandis praefuit Günszii. In Synodo Bükiana an. 1669 d. 28. Junii habita ad Superintendentis locum pervenit. Persecutione decennali ad finem deproperante, sacra Evangelica deseruit.

Pastoribus anno 1674 exsilio mulctatis usque ad an. 1742 Trans-Danubiani neminem Superintendentis muneri praefecerunt.

B. *Post Resolutionem Carolinam anno* 1734 *propositam:*

1. *Joannes Tóth-Sipkovits*, Ecclesiae Tétiensis Pastor, in Ecclesia Vádosfalvensi d. 3. Calend. Martii an. 1742 in Superintendentem inauguratus. Anno 1745 abiit in coelestes domos.

2. *Josephus Perlaky*, Ecclesiae - Nemes - Kéresztúr Pastor, Sajo - Gömörini patre Davide Perlaky Pastore natus. Didicit literas Osgyanini, Csetnekini, Neosolii, Sempronii, Vitebergae. Anno 1729 susceptis Csetnekini a Samuele Antoni Superintendente ordinibus sacris, in Nemes-Kér Pastoris locum, anno 1748 Superintendentis provinciam sortitus est. Fato concessit anno 1750.

3. *Gregorius Fabri*, Osgyanini natus, studiis vacabat domi, Jaurinii, Kesmarkini et Sempronii an. 1726. Viteberga redux d. 25. Julii 1727 Jaurinii Rectoris Scholae munus iniit; post Vadosfalvae Pastoris partes suscepit; anno 1751 in Superintendentis locum pervenit, quo post Regina eum decedere jussit.

4. *Samuel Némethy.*
5. *Josephus Baranyay.*
6. *Adamus Balogh.*
7. *Gabriel Perlaky.*
8. *Samuel Hrabowszky.*
9. *Stephanus Nagy.*
10. *Joannes Kis.*

II. Superintendentes Cis - Danubiani.

A. *A Synodo Solnae an.* 1610 *celebrata*, usque ad exsilium Pastorum ann. 1674. — In Synodo Solnensi decem Comitatibus Cis - Danubianis tres Superintendentes fuerunt praepositi, ita ut eorum uni coetus sanctiores in Comitatibus Trenchiniensi, Liptoviensi, Arvensi; alteri in Comitatibus Thurocensi, Zoliensi, Honthensi et Neogradensi; tertio in Com. Posoniensi, Nitriensi et Barchiensi obtingerent.

a) *Superintendentes Comitatuum Trenchiniensis, Arvensis et Liptoviensis erant:*

1. *Elias Lany*, origine Thurocensis, Alnoviae Rector; circa annum 1597 Ecclesiae Moschoviensis Pastor, anno

1602 Contubernii Thurocensis Senior, anno 1608 Pastor Bitschensis, mox anno insequenti Contubernii Trenchiniensis Senior; anno 1610 in Synodo Solnensi Superintendentis honore condecoratus, die 30. Martii solemni ritu initiatus. De vita migravit annos natus 48, die 5. Nov. 1618. Edidit sociis Isaco Abrahamide et Samuele Mellikio ex Decreto Synodi Bitschensis Catechismum Lutheri minorem, slavico sermone redditum, anno 1612 typis excussum. Ejus etiam opuscula sunt: Scutum libertatis christianae in usu imaginum historico, Bartphae 1594, et defensio libertatis christianae in usu imaginum historico. Bartphae 1595.

2. *Joannes Hodikius*, Tót-Pronensis, Pastoris Balthasaris filius, sumtibus Com. Stanislai Thurzo Vitebergae literarum studiis imbutus, primum Dévikensis, post an. 1614 Trenchinensis Pastor. In Synodo Trenchinensi Calend. Jan. 1619 Superintendens designatus, ab Isaco Abrahamide, Ecclesiarum Comitatus Posoniensis, Nitriensis et Barchensis Superintendente, consecratus, eodem anno Bitsam delatus, anno 1628 Trenchinensibus restitutus. Ex corporis vinculis evolavit d. 22. Febr. 1642, vix annos 57 natus.

3. *M. Zacharias Lany*, Eliae Superintendentis filius Academiae Vitebergensis alumnus. Praefuit Scholae Galgocensi, Banovicensi circa annum 1622, tum Trenchiniensi. Postea Banovicenses ei Pastoris munus injunxerunt, et Fratres Contubernii Gradnensis seniorem, die vero 17. Martii 1642 Superintendentem nominarunt; cui potestati eum frater Gregorius, Comitatuum Thurocensis, Zoliensis, Honthensis et Neogradensis Superintendens solemni ritu praefecit. Scripsit Strigilim Astrologiae Kircherianae, sive orthodoxam depulsionem causarum et argumentorum, quibus M. Joannes Kircherus Tubingensis permotum se jactitat, cur e Synagoga, ut ait, Lutherana transmigraverit in Eccle-

siam Catholicam. Anno 1642 in Quarto. De vita migravit an. 1645 ultimo die Paschali.

4. *Joachim Kalinkius*, Joannis V.D. Ministri Teplaensis filius, Cremnicii, Bitschae, Bannovicii, Eperiessini literis initiatus. Gessit Rosembergae Rectoris et Diaconi, post Gradnae, Rajecini, Illavae Pastoris munus. In Conventu Bannoviceusi d. 15. J. a. 1646 Superintendentis dignitati praepositus. Per judicium delegatum Posoniense anno 1674 exsilio mulctatus. Diem supremum Zittaviae anno 1678 obiit.

b) *Superintendentes Comitatuum Thurocensis, Zoliensis, Honthensis et Neogradensis:*

1. *Samuel Melikius*, Samuelis Rectoris Szent-Ivanensis filius. Primum Briznensis Scholae Rector; deinde anno 1595 ejusdem Ecclesiae Pastor. In Synodo Solnensi anno 1610 partes Superintendentis ei fuerunt assignatae. Spiritum anno 1620 reddidit. In munus sacrum 60 viros inauguravit.

2. *Melchior Rohatsius* Martinopolitanus. Postquam munere Rectoris Scholae Eperiessiensis sese abdicasset, Liptsensis Pastoris locum capessivit, et ab anno 1613 ad 1620 Contubernii Liptoviensis Senioris munia obiit. Briznam anno 1620 delato, a Dioecesi anno 1621 Superintendentis provincia imperata fuit, qua tamen atrox mors eum jam anno 1622 deturbavit.

3. *Petrus Sextius*, Nagy-Szlabossensis. Vacabat delegato Pastoris officio apud Felsö-Sajoenses 1595, Olah-Patakenses, Csetnekienses, Duboviensés. In Synodo Martinopolitana anno 1623, ei, Pastori jam Briznensi, Superintendentis munus fuit delatum. Vitam posuit anno 1634. In munus sacrum introduxit viros 69.

4. *Gregorius Lany*, Thurocensis, Eliae Superintendentis filius. Impensis Comitis Georgii Thurzo, Vitebergae doctrinam ante in patria partam amplificavit. Munus sacrum administrabat in arce Arvensi; post Rajecini, anno

1634 Veterosolii. Anno 1635 M. Joan. Heodikius eum in Superintendentem quatuor Comitatuum inauguravit, Briznenses vero in suum Pastorem cooptarunt. Ipse Zachariam Lany et Joachim Kalinkium renunciavit Superintendentes. In munus sacrum solemni ritu 144 viros inauguravit. Decessit d. 11. Sept. 1653.

5. *Martinus Spetkius*, Bajmocini an. 1599 natus. Pastoris muneri praefuit Senicii, Bozokini. Ad Superintendentis Honores Tót-Pronae adscendit. Rebus humanis anno 1655 exemtus.

6. *David Lany*, anno 1618 patre Daniele, Ecclesiae Hainensis Pastore satus, Moschoviae, Bannovicii, Briznae, Posonii eruditus. Praefuit Scholae Prividiensi, post muneri sacro Dobronnae, Prividiae, anno 1653 Briznae. In Conventu Ludanensi 1656 ad Superintendentis dignitatem provectus. Vita die 20. April. 1669 defunctus est.

7. *Georgius Zabojnik*, Thurocensis, ab anno 1639 Ecclesiae Bozokensis Pastor, in quatuor Comitatuum Superintendentem die 5. Decbr. a. 1669 inauguratus. In concilium coelestium d. 12. Maji an. 1672 in exsilio Carponae translatus est.

c) *Superintendentes Comitatuum Posoniensis, Nitriensis, Barchensis:*

1. *Isacus Abrahamides*, etiam Abrahamfy, et a loco natali Hrochotius appellatus, patre nobili, Abrahamo Hrochotio natus, Literis operam navabat Schemnicii biennio, Neosolii quadriennio, Bartphae biennio, Moschoviae biennio, Pragae biennio, Lipsiae unius anni intervallo. Anno 1595 mense Septembri Vitebergae a D. Aegidio Hunnio ordinatus, Bajmocensis Praepositus, anno 1610 Solnae Superintendentis honoribus ornatur. Animam efflavit anno 1621.

2. *Nicolaus Fidicinis*, natalibus Bajmocensis, Bitschae primum Con-Rector, deinde Rector, tum ab anno 1612 Pastor, hinc Galgocinum delatus. Anno 1622 in locum Abrahamidis subrogatus. Vitam anno 1625 effudit.

3. *Andreas Diossy*, Galgocensis Pastor, Dominica Iubilate anno 1626 in Conventu Prividiensi ad Superintendentis munus promotus. Post ad Bajmocenses commigravit. Vitam feriis Paschalibus anno 1627 finivit.

4. *Basilius Fabri*, Illinicensis, Ecclesiae Prividiensis Pastor, Dominica Jucunditatis Superintendentis honore ornatus, brevi in Praepositi Bajmocensis locum evectus, ibi die 8. Nov. 1630 debitum naturae reddidit.

5. *Nicolaus Martini*, olim Martinko vocatus, Rosenbergae natus. Erudiebat juventutem Ujhelyini ad Kisucam et Tót-Pronae; deinde in Alsó-Kubin Diaconi munia obibat, post Cseytensium Pastoris provinciam cepit. In Conventu Cseytensi d. 2. April. 1631 ad Superintendentis honores provehitur, mox Praepositi Ujhelyensis dignitate augetur. Statione hac anno 1638 exturbatus, a. 1640 a vita descivit.

6. *Daniel Dubravius*, Solnae natus, rexit Scholam Trenchinensem, Briznensem, Bannovicensem, post coetus Senicensis res sacras curabat. In Synodo Bannovicensi d. 9. Jun. 1648 Contuberniorum nuncii eum Superintendentis honoribus dignati sunt. Animam deposuit an. 1655.

7. *Martinus Tarnocius*, Beckoviae a. 1620 natus. Artes studiaque postremum Vitebergae coluit. Patriae redditus primum Senicensem anno 1649, tum Trenchinensem a. 1650, denique Vág-Ujhelyensem ludos moderabatur. Anno 1652 Prividenses eum in suum Pastorem cooptarunt. Anno 1656 d. 29. Martii in Synodo Ludanensi Superintendentis honores adeptus, a Joach. Kalinkio inauguratus fuit. Vidua Pauli Pálfy eum in exsilium ejecit, Dévék-Ujfalvenses tamen eidem sacrorum curam mandarunt. Anno 1673 cum socero Joachimo Kalinkio Superintendente Posonium citatus, in exsilium subscripsit. Post Comitia Soproniensia anni 1681 redux, provinciam

Pastoris Dévékensis resumsit. Naturae in arce Blatnica, apud Thurocenses, anno 1685 concessit.

B. *A sublata exsilii poena, usque ad Resolutionem Carolinam anno 1734 promulgatam*, per universum Districtum Cis-Danubianum nonnisi duo fuerunt Superintendentes, M. Stephanus Pilarikius alter, alter Daniel Krmanus.

1. *M. Staphanus Pilarikius*, Stephani, Pastoris Tyrnaviensis et Modrensis, filius, Schemnicensis Pastor Germanicus, in Ecclesia Cseriensi d. 28. Maji 1704 ad Superintendentis Comitatuum Zoliensis, Barchensis, Nagy-Honthensis, Neogradensis et Kis-Honthensis locum promotus, insequenti die inauguratur. Ei anno 1710 peste confecto, usque ad Resolutionem Carolinam nemo surrogatus fuit.

2. *Daniel Krmanus* d. 28. Aug. 1662 patre Daniele, Ecclesiarum Illijàvensis, Lestensis, Turolukensis V. D. Ministro natus. Disciplinis studuit Illavae, Trenchinii, Vratislaviae, Vitebergae, Lipsiae. Redux praefuit Scholae Illavensi, ex qua anno 1684 ejectus, ludum Moschoviensem moderabatur. Anno 1687 d. 28. Jun. Bartphae in Pastorem Turolukensem ordinatus, post Solnam accitus, a. 1706 Dominicà Jubilate magis perequestrem, quam per ecclesiasticum ordinem in Praesulem Comitatuum Posoniensis, Nitriensis, Liptoviensis et Arvensis electus, per Superintendentem Pilarik solemni ritu inauguratus. Anno 1729 causa cujusdam Moravi, Venceslai Mlinarich, Posonii in vincula conjectus iis, usque dum d. 17. Septbr. a. 1740 exspiraret, detinebatur. Sepultus est Posonii d. 20. Septbr., in Templo Cathedrali Sancti Martini, inter summa solemnia, quod Pater Waismaier e Societate Jesu mentiretur Krmanum moribundum sacra Evangelica ejurasse. Paucis ante mortem diebus hoc sibi erexit Epitaphium: „Natus in exsilio, denatus in exsilio-

que. Respondent primis, ultima fata suis. Sed faustum exsilium, ex quo patria dulcis aditur, Aeternaque datur pace, quiete frui." Edidit Biblia sacra Veteris et Novi Testamenti sermone Slavico, Halis an. 1722 typis exscripta. Repetita est editio haec Halis an. 1745 et 1766.

C. *A Resolutione Carolina ad nostram aetatem.* Post Resolutionem Carolinam Nostrates Comitatus Cis-Danubianos in duas Superintendentias diviserunt, quarum una Cis-Danubianae, altera Montanae nomen obtinuit.

a) *Superintendentiae Cis-Danubianae Superintendentes fuere:*

1. *Jacobus Zaborszky*, Pastor Ivankofalvensis, in Superintendentem electus quidem, sed priusquam munus auspicaretur anno 1736 mortuus.

2. *Elias Möhlius*, natalibus Posoniensis, ab anno 1718 Ecclesiae Modrensis Pastor Germanicus. Anno 17[illegible] d. 10. Aug. in Superintendentis locum pervenit. Ecclesias Districtus sui anno 1742 spectabat. Vitam die 21. Juni an. 1761. deseruit.

3. *Michaël Torkos*, spatio quinquaginta annorum Pastor Modrensis. Anno 1801 d. 24. Aug. mortem obiit. Superintendentis honores annis quadraginta gessit.

4. *Daniel Crudy*, d. 25. Oct. 1735 Veterosolii natus. Literas cognovit Cremnicii, Osgyanini, Posonii, Altorfii, Jenae. Pastoris locum occupavit in Cseri, in Com. Magno-Honthensi an. 1759, Neosolii an. 1763, Posonii an. 178[illegible] Altiorem Superintendentalis dignitatis gradum anno 18[illegible] est consecutus. Vitae usuram amisit d. 18. Decbr. 1815.

5. *Michaël Kovát Martini.*

b) *Superintendentiae montanae praeerant:*

1. *Samuel Michalides*, patre Joanne, Sakolcensi, post Brezoviensi Pastore d. 18. Febr. 1674 natus. Operam

navabat liberalibus studiis Solnae, Sulovii, Neosolii, Szent Ivanii, Kesmarkini, Nagy-Palugyae, Moschoviae, Cremnicii, anno 1690 Zittaviae; an. 1694 Vitebergae. Pastoris Brezoviensis munus ingressus est anno 1696 susceptis die 22. Aprilis Dresdae ordinibus sacris. Anno 1701 ad Trenchinienses, a. 1706 ad Cassenses delatus fuit. Interfuit Synodo a. 1707 Rosenbergae coactae. Loco motus, anno 1710 ad Neosolienses transiit, ubi sermone slavico sacris operabatur. In Superintendentem Districtus Montani d. 22. Novbr. 1732 electus, Paramszegini inauguratur. Praefuit Ecclesiae Neosoliensi annis triginta, vixit annos 68. Naturae d. 22. Nov. an. 1740 concessit.

2. *Jeremias Pilarik*, patre Jeremia, Pastore Dobronnensi, an. 1693 natus. Disciplinas coluit Schemnicii, Neosolii, Eperiessini, Vitebergae. Pastoris provinciam an. 1717 apud Guttenses, post apud Teszérenses, anno 1730 apud Dacso-Lamenses administrabat. Superintendentis gradum d. 27. Aug. 1741 adscendit. Occubuit anno 1743.

3. *Samuel Hrusskovits* (Hrusskovitz), Carponensis. Studuit Carponae, Alnoviae, Rosnaviae, Schemnicii, Neosolii, ab an. 1717 — 1719 Vitebergae. In Pastorem Marothensem eum Superintendens Samuel Antoni Csetnekini d. 8. Aug. 1720 inauguravit. Eandem pastoris provinciam ei Neosolienses an. 1732 mandarunt, Districtus vero d. 22. Jun. 1744 Superintendentis honoribus auxit. Quod an. 1746 Ecclesias visitaverit, id ei tantopere in crimen interpretabatur Excelsum Consilium, ut eum an. 1747 Posonium citaverit, atque utroque et Pastoris et Superintendentis munere orbaverit. Fuit tamen d. 8. Martii 1748 insons declaratus. Vitam cum morte d. 1. Septbr. 1748 commutavit. Slavorum in poësi Gellertus.

4. *Andreas Hieronymus Fridelius*, Baziniensis, anno 1726 natus. Imbuit se doctrinae studiis Modrae, Posonii, Neosolii ab an. 1742 ad 1747. Adiit tandem Universitatem Vitebergensem. Reducem Garumszegenses an. 1749 Kes-

markini per Superintendentem Eliam Fischer in suum Pastorem die 21. Aprilis inaugurari curarunt.

5. *Michaël Pohlius* in Comitatu Castriferrei ad Fanum Sancti Gotthardi d. 15. Aug. 1705 natus. Versabatur in artibus ingenuis postremum anno 1724 Vitebergae. Docuit post in ludo Neczpalensi an. 1727, tum partes Pastoris Krajnensis an. 1731, Neosoliensis an. 1734, Ostrolukensis, an. 1741 Schemnicensis implebat. Mandato Exc. Consilii potestate expulsus, post sexennium Acsae rei sacrae curandae praeficitur, anno 1766 Superintendentis dignitate ornatur, die 8. Mart. 1778 vitam ponit.

6. *Joannes Csernanszky,* Schemnicensis Pastor, Rajecini an. 1709 natus, Neosolii, Cremnicii, Vitebergae et Lipsiae disciplinis imbutus. Postquam Suloviae Rectoris provinciam quinquennio administrasset, in Pastorem Ecclesiae Magno-Palugyensis per Superintendentem Georgium Ambrosy d. 23. Jan. 1742 inauguratus fuit. In ampliorem Superintendentis gradum d. 15. Jul. 1778 promotus, solemni ritu anno insequenti in Templo Marothensi initiatur. Ob copulam, in prohibito gradu peractam, Josephus Imperator ei munus abrogari praecipit. Priusquam provinciae, quam antea tenuit, restitueretur, morte exstinguitur.

7. *Michaël Szinovicz*, Pastor Potrensis, anno 17.. Szüdensis, anno 1767 Ratkoviensis, iterum Szüdensis, post Kis-Zellöensis, anno 1778 Garamszegensis, anno 17.. Neosoliensis.

8. *Martinus Hamljar*, Pastor Schemnicensis, post Szarvassensis. Gradum Superintendentis Ecclesiarum Districtus Montani Schemnicii d. 31. Oct. 1796 consecutus est.

9. *Christophorus Lyci*, anno 1744 in Puszta-Födémes, in Comitatu Posoniensi natus. Literis Modrae, Posonii, Vitebergae innutriebatur. Pastor in Csanko ad annum 1775, serius Neosolii. Deinde muneri Superin-

tendentiis admotus fuit. Vita d. 18. Septbr. 1814 Schemnicii aetatis septuagesimo, muneris sacri quadragesimo anno cessit, dum Ecclesiarum Recensionem instituens, in Templo Schemnicensi concionem, formula precum solemni (benedictione) dimitteret.

10. *Adamus Lowich.*

III. Superintendentes Cis- et Trans-Tibiscani.

A. *A Synodo Varaliensi usque Leopoldinam persecutionem; seu ab an.* 1614 — 1674.

a) *Superintendens Ecclesiarum Oppidanarum et Vicanarum Comitatus Scepusiensis et Sdrossiensis:*

M. Stephanus Xylander (Holtzmann) Leutschoviae anno 1572 natus, Studuit literis Tót-Liptsae, Eperiessini, Krapicae, Leutschoviae, Francofurti ad Viadrum, Vitebergae a d. 6. Decbr. 1591 ad 1596, Regio-Monti ab a. 1596 — 1597. Rediit post Vitebergam, ubi anno 1599 in munus Diaconi Leutschoviensis inauguratus, hanc provinciam quadriennio sustinuit, post Krompacenses, mox anno 1606 Cibinienses eum in Pastorem Germanicum cooptarunt. Anno 1609 Váralii ad munus sacrum admotus Confessioni XXIV. Regalium die 23. Julii anno 1610 subscripsit. Anno 1611 die 16. Nov. in Congregatione Georgiomontana Fratres eum Viginti Quatuor Regalium Pastorum Seniorem renunciarunt. Anno 1613 Christophorum Thurzo, Georgii Pro-Regis fratrem, quem Jesuitae ad sacra Romano-Catholica seduxerunt, ad formulam Evangelicam reduxit; anno 1614 in Synodo Váralii celebrata honoribus Superintendentis Comitatus Scepusiensis et Sarossiensis auctus quidem fuit; partes tamen Praesulis, quod Magistratus Polonicus obstaret, exsequutus non est. Vitam cum morte commutavit d. 18. April. anno 1619, anno aetatis 48.

b) *Superintendentes Liberarum Regiarumque Civitatum Superioris Hungariae:*

1. *M. Petrus Zablerus*, Heyna-Misnicus, primum Cassoviae, deinde ab anno 1602 Leutschoviae Pastor. In Synodo Váraliensi anno 1614 ad dignitatem Superintendentis Quinque Liberarum Regiarumque Civitatum, quarum ab anno 1607 Senior fuerat, provectus. Fuit vir eruditus, disertus, in dicendo gravis. Triginta et unius annorum intervallo ordinibus sacris initiavit Pastores 212. Leutschoviae annis 43 sacrorum antistitis partes sustinebat. Exspiravit d. 23. Sept. an. 1645.

2. *Martinus Wagnerus*, Jacobi Pastoris Bartphensis filius, anno 1587 natus. Anno 1607 disciplinarum causa Thorunum concessit; post biennium Gedanum, Regiomontum, Francofurtum, Lipsiam, Vitebergam salutavit. Anno 1612 redux Concionator Bartphae, post Pastor ibidem nominatur, die 1. Nov. 1645 Cibinii ad Superintendentis honores provehitur. Eodem die ordinavit Adamum Braxatoris in Diaconum Sárossiensem, et Christianum Paulum Poss in Pastorem Mislaviensem. Postquam 221 viros in munus sacrum inaugurasset, d. 2. Julii an. 1666 annis 79 natus e vivis eripitur.

3. *Michaël Liefmannus*, natus Halbersverdae in ditione Glacensi anno 1619. Ad studia incumbebat Thoruni, Vratislaviae, Francofurti, Vitebergae. Concionator Purschvicii in Principatu Volaviensi ann. 1650, post Diaconus Lignicii, tum anno 1665 Cassoviae Pastor, jam anno 1666 in Synodo Cibinii d. 15. Julii celebrata, invitus licet, ad Superintendentis locum promotus et per Christianum Seelmannum Pastorem Leutschoviensem inauguratus fuit. Eo auctore in Synodo Cassoviae mense Februario an. 1668 celebrata, auctoritas Formulae Concordiae stabiliebatur, omnesque arbitri nomen illi subsignarunt. Anno 1673 captus in vincula conjicitur, subscriptione Apochae in exsilium consentit. Auspicatur post munus Pastoris in Bier-

baum in Polonia, anno 1683 Budissae. Sublata exsilii poena Liberae Regiaeque Civitates eum quidem invitabant ad capiendam Superintendentis, prout et Coetus Cassoviensis ad occupandam Pastoris domestici sedem, sed Liefmannus reditum detrectabat. Vitam naturae reddidit Budissae d. 16. Febr. 1702 annos natus 83. Ordines sacros impertitus est Pastoribus 38.

4. *Philippus Heutschius*, Váralii patre Philippo Heutschio Diacono, post Eremitano et Dopschensi Pastore d. 10. Sept. an. 1628 natus. Notitiam cum optimis artibus contraxit in Eremo (Einsiedel), Váralii, Rosnaviae, Igloviae, Bartphae, Epericssini, Modrae, Posonii, anno 1650 Vitebergae. A die 7. Maji 1653 Rector Scholae Olassensis quadriennio. Anno 1656 Dopscham vocatus d. 21. Jan. 1657 a Martino Wagnero Bartphae ordines sacros suscepit. Dopscha Matthaeivillam d. 6. Decbris. an. 1661 accitus, sacris ad 8. Jan. an. 1670 praefuit. Anno 1665 Senior Fraternitatis Superioris fluvii Poprad renunciatus. Die 17. Decembris ann. 1665 a Compositivillanis ad sacrorum curam invitatus, oblatum munus recusavit. Die 16. Decembris an. 1669 a Menhardivillanis cooptatus, eo die 8. Jan. 1670 concessit, quod ipse in Matricula Ecclesiae Matthaeivillanae abiens, his verbis notavit: Anno, quo: PhILIppVs HeVtsChIVs pastor fIt MenharDensIs. Fraternitati Viginti Quatuor Regalium adscriptus fuit Belae d. 19. Febr. 1670. Anno 1674 exsilio mulctatus Vratislaviae una cum filio degebat, Diaconi quoque muniis ad aedem Magdalenae perfunctus. Exsilii poena remota in Hungariam redux Cassoviae Pastoris munus an. 1682 adiit, insequenti anno d. 26. Julii Superintendentis Quinque Liberarum Regiarumque Civitatum gradum Bartphae consecutus, anno 1685 in concilium coelestium vocatus. Ordines sacros 32 Venerabilis Ministerii Candidatis contulit.

5. *Jacobus Zablerus*, Magistri Petri Zableri Super-

intendentis et Pastoris Leutschoviensis nepos, patre Jacobo Zablero Bartphensi cive anno 1639 natus. Studiorum causa versabatur Bartphae, Eperiessini, Jenae. Anno 1664 Bartphae Con-Rectoris, Dominica vero Cantate anno 1665 Superintendentis Martini Wagneri, Vicarii munus capessivit. In Bartphensem Pastorem renunciatus in exsilium ejicitur, atque Mühlbergae ad Albim in Misnia vivit. Anno 1682 revocatus, priscinam sedem occupat. Anno 1686 Superintendentalis dignitatis honores adipiscitur, Georgio Weisz, Pastore Cibiniensi, inaugurationis ritum peragente. Anno 1694 filium in Archi-Diaconum Bartphensis coetus sacri ordinat. Exsilio iterum d. 30. Jun. 1699 mulctatur. Latitat ad fluvium Göllnicz, in Zsalman Kükömezeini et Giralthini, ubi complures viros in munus sacrum inauguravit. Anno 1708 Bartphensibus restituitur, sed jam d. 27. Maji 1709 coelestium coetui adscribitur. Ordines sacros tribuit 188 Ministerii Candidatis.

B. *Sublata exsilii poena usque ad Carolinam Resolutionem in Districtu Tibiscano duo erant Superintendentes*, quorum alter Liberarum Regiarumque Civitatum, alter Districtus Superintendens vocabatur.

a) *Liberis Regiisque Civitatibus* — post Jacobum Zablerum, qui cessante dira Nostratium oppressione, longo tempore unus in toto regno erat Superintendens Evangelicus Aug. Confessionis, praerant:

1, *M. Joannes Schwarz*, Eperiessiensis. Doctrinae studiis sese dedidit in patria urbe atque Tubingae, unde anno 1673 rediit. Sed quoniam eo tempore adversarii crudelissime in Nostrates saeviebant, iterum Tubingam remigravit. Vidit et Argentoratum atque Vitebergam. Anno 1681 Eperiessini Professoris eloquentiae et Poëseos munus auspicatus est, serius Theologicas et Philosophicas

disciplinas tradebat. Anno 1705 in munus Eperiessiensis Pastoris d. 20. Maji per Superintendentem Zablerum initiatur. Mortuo Zablero, anno 1709 ad Superintendentis dignitatem perducitur in Synodo Cibinii celebrata. Eodem anno per Scepusium coetus sacros — tredecim oppidanis exceptis, — recenset. Vixit annos 87. Animam d. 28. Decembris 1728 reliquit. In munus sacrum inauguravit 38 Ven. Ministerii Candidatos.

2. *Christianus Pfannschmied*, Leutschoviensis. Notitiam contraxit cum liberalibus studiis in urbe patria, Vratislaviae, Jenae ab ann. 1685 ad 1691. Anno 1693 in Ecclesiae Leutschoviensis Diaconum Germanicum per Jacobum Zablerum ordinatur, serius in eadem urbe Pastoris provinciam capessit. Mortuo Schwarzio Superintendentis gradum die 10. Martii 1729 per Eliam Trangus Pastorem Cibiniensem inauguratus adscendit. Superintendente Districtus Antonio anno 1738 e vivis sublato, post promulgatam Carolinam Resolutionem, vi cujus Nostratibus nonnisi unum in Districtu Tibiscano fas erat habere Superintendentem, Gömerienses consensissent in Pfannschmiedium in dignitate Superintendentis per totum Districtum conservandum confirmandumque; sed quoniam non deerant, qui repugnarent, Antonio, Ambrosy suffectus fuit. Ambrosyo electo Pfannschmied Superintendentis munia non amplius obibat, titulum tamen Antistitis in Districtu usque dum anno 1741 morte eriperetur, retinuit. Muneri sacro, solemni inaugurationis ritu admovit viros 31.

b) *Districtus Superintendentes fuerunt:*

1. *Andreas Bodo* (*Bodovinus*), anno 1636 Bodofolvae in Comitatu Thurocensi nobili genere natus. Pastoris partes implebat Rima-Banyae, deinde Briznae, a d. 23. Martii 1683 Csetnekini. Gömerenses eum Contubernii sui Con-Seniorem an. 1688, — die vero 7. Febr. an. 1691 Seniorem crearunt; post d. 12. Maji 1704 Superintenden-

tis honoribus ornarunt. Coelitibus adscriptus fuit die 10. Martii a. 1708, annos natus 72. Ordinavit Candidatos 18.

2. *M. Joannes Sdrossy,* natus in Oppido Sáros, patre Joanne nobili. Ad studia incumbebat in Oppido patrio, Berzevicae, Eperiessini, anno 1671 et seqq. Vitebergae. — Redux Scholae Toporcensi praefuit. Anno 1682 Cassoviae Pastoris Hungarici locum occupavit, quem 26 annis cum laude tuitus est. In Conventu Leutschoviae anno 1708, exeunte Julio celebrato, ad honores Superintendentis Ecclesiarum Gömörensium, Parvo-Honthanarum, Tornensium, Berssodensium, Hevessensium, Szolnokensium perductus die 30. Sept. Pastoris Rosnaviensis atque Superintendentis munus obtinuit, quod tamen jam d. 10. Febr. 1709 inexorabile letum ei abrogavit. Vixit annos tres supra sexaginta. Ordines sacros nemini contulit. Brevi post ejus fatum Rosnavienses usu sacrorum privati sunt.

3. *Samuel Antoni,* Danielis diversarum Ecclesiarum Pastoris filius, Báthoviae a. 1664 natus. Cum anno aetatis 18. studiorum causa Jaurinum sese conferret, ad munimentum Ujvár per Turcas captus carceribus quadriennio detinebatur. His liberatus rediit ad Scholas Semproniensem, Posoniensem, Trenchiniensem. Post Jenae triennio versabatur. Ad penates reversus Trenchinii Rectoris et Diaconi munus, susceptis d. 13. Jun. 1696 ordinibus sacris, exsequutus est. De statione hac discedens Aulici Concionatoris apud Lib. Baronem Matthiam Ostrosith in arce Lipto-Ujvar (Hradek) officia et partes suscepit; triennio post Hibis, an. 1700 Bottfalvae, mox Vág-Ujhelyini, tum Nagy-Palugyae anno 1708 Csetnekini sacris operabatur. In Superintendentem Cibini electus, d. 24. Sept. 1709 Koevinii inauguratur Kis-Honthanos coetus spectat. — Unum supra centum Candidatos ordinat. Vitam d. 18. Aug. 1738 finit.

C. *Post Resolutionem Carolinam Tibiscanus Districtus nonnisi unum habebat*

Superintendentem, cui tamen muneri per vices, jam Germanicus Pastor (quo initio soli Pastores Ecclesiarum Germanicarum in Liberis Regiisque Civitatibus; ab anno 1783 etiam Tredecim Oppidani Pastores. serius Montanarum quoque Scepusiensium Ecclesiarum V. D. Ministri referrebantur) jam Slavicus, aut Hungaricus admovebatur. Excipiunt vero sese Superintendentes Districtus Tibiscani a Coalitione Dopschensi d. 11. Jan. 1743 hoc ordine:

1. *Georgius Ambrosy*, natus in Also-Kubin d. 18. April. 1694 patre Matthia nobili. Notitiam cum optimis artibus contraxit Kesmarkini, Eperiessini, Vitebergae, an. 1718. Hinc redux Bialae, quod pro Ministro Evangelico haberetur, captus, aegre capitis supplicium evitavit. Custodia liberatus d. 7. Aug. 1721 Rector in Neczpal constituitur; post Pastoris in Warbocz provinciam accipit. Die 21. Jan. an. 1733 in exsilium pellitur. Serius Pastoris in Pritržd, tum a secunda Octobris an. 1738 Csetnekini, partis agit; post d. 16. Febr. 1741 in Ecclesia Giralthensi Superintendentis dignitate ornatur, huicque potestati Dopschae d. 21. Martii praeficitur. Anno 1742 Visitationem Ecclesiarum peragit. Die quinta Julii a. 1746, annos natus 52 corporis vinculis solvitur. Scripsit inter alia nucleum doctrinae Evangelicae sermone Slavico a. 1745 typis vulgatum. Ordines sacros impertitus est Candidatis 23.

2. *Elias Fischer*, Toporcini d. 13. Julii an. 1689, patre Joanne Georgio Fischer, pastore Stooszensi, tum exsule natus. Operam dabat disciplinae Leutschoviae, Rosnaviae, Eperiessini, an. 1709 Vitebergae. In Diaconum Bartphensis Ecclesiae d. 3. Aug. 1713 inauguratur. Anno 1729 eandem provinciam Kesmarkini capit, ibidem anno 1734 Pastori Eliae Perlicio succedit. Anno 1741 Senior Sex Liberarum Regiarum Civitatum designatur. In ampliorem Superintendentis gradum promovetur Crucisvillae

anno 1747. Abiit ex Vita Dominica II. post Trinit. 1774 Ordinabat Pastores 123.

3. *Gregorius Fabri*, Hrussovia-Gömöriensis, d. 6. Mart 1719 natus. Studuit Osgyanini, Kesmarkini, Jenae et Erlangae. In Academia Jenensi anno 1748 poëta laureatus Caesareus creatus. Redux inde Rectoris Fragopolitani provinciam obtinuit, quam annis 18, inter varias fatorum vicissitudines administrabat. Fractus longo molestoque labore anno 1767 sponte sua munere se abdicavit, privatusque vixit. Anno 1770 Laurentio Szarvas, Slavorum Eperiessiensium Pastori successit, Kesmarkini d. 20. Jan per Superintendentem Eliam Fischer ordinatus. In Superintendentis locum die 3. Aug. 1774 pervenit. Morte d 8. April. 1779 exstinctus est. In munus sacrum 15. Ministerii Candidatos inauguravit.

4. *Joannes Ruffiny*, Trenchiniensis. Disciplinis studuit in urbe patria, Posonii, Jaurinii, Eperiessini, Vitbergae. In Pastorem Ecclesiae Dravecensis (Darocensis) apud Sárossienses an. 1745 per Georgium Ambrosy Csetnekini inauguratus; deinde Septentiliis rem sacram curabat. In exsilium ejectum, primum Octinenses, mox Dopschenses muneri sacro admoverunt, Contubernium vero Gömöriense Seniorem constituit, Districtus denique Tibiscanus d. 28. Julii an. 1779 Eperiessini Superintendentem renunciavit. Supremum diem explevit d. 5. Junii 1791. Ordinavit 75.

5. *Samuel Nicolai*, die prima Junii an. 1751 patre Jacobo, pastore Kalnoviensi, natus. Imbuit se doctrinae studiis, Osgyanini, Leutschoviae, Kesmarkini, Eperiessini, ab anno 1776—1778 Tubingae. In Pastorem Slavicum Eperiessiensem Schemnicii a Joanne Csetnanszky initiatus, munus sacrum Fragopoli d. 10. Jun. 1779 auspicatus est. Superintendentis honoribus d. 7. Maji 1792 auctus, die insequenti solenniter inauguratus fuit. Templa consecravit octo. Ad munus sacrum 64 viros ordinavit. Postremis

quatuor vitae annis per universum Districtum Ecclesias spectabat. Mortalitate intercipitur d. 1. Oct. 1807, postquam coetui 28, Districtui quindecim annis praefuisset.

6. *Samuel Szontagh*, Eperiessini patre nobili Samuele, Medicinae Doctore, d. 26. Febr. 1736 natus. Eruditus in urbe patria, Sajo-Gömörini, Osgyanini, Posonii, Altorfini, Jenae. In Pastorem Cassoviensem cooptatus a Gregorio Fabri, d. 16. Decbr. 1776 ordines sacros suscepit. Anno 1791 Pestanae Synodo interfuit. Anno 1806 munere sese abdicavit. Ad Superintendentis dignitatem d. 27. Aprilis provehitur, sequenti die inauguratur. Templa consecravit sex. Ad munus sacrum ordinavit 67 viros. Extremum vitae spiritum edidit d. 7. Julii 1822 annos natus sex supra octuaginta.

7. *Paulus Jozeffy*, apud Nitrienses natus, in Scholis patriis et Jenensi Universitate literarum, doctrinis imbutus; Aszodensium, Czinkotensium et Taxoviensium Pastor; in ampliorem Superintendentis gradum die 25. Januarii a. 1823 provectus.

PARS SPECIALIS.

HISTORIA COETUUM SACRORUM

AUGUSTANAE CONFESSIONI ADDICTORUM,

SENIORATUI TREDECIM OPPIDANO IN SCEPUSIO,

ADSCRIPTORUM.

PROOEMIUM.

Scepusii habitatores ritui christiano prisca jam aetate nomen dedisse, dubio caret. Prout autem civilium rerum ratione habita, jam dudum in diversas coiverunt societates, variis sese subjecerunt Magistratibus, peculiariaque pro se impetrarunt Privilegia: ita in rebus ad religionem profitendam et excercendam formamque sacrorum externam pertinentibus, plures coetus sacri singuli, peculiares formarunt familias, quas *Fraternitatum* nomine insignivevrunt. Erant vero in Scepusio hujus generis Fraternitates et ante Seculum XVI. et aliquamdiu ipso hoc seculo *octo*, quarum postquam una — Libloviensis — pedetentim evanuisset, seculo adhuc XVII. septem supererant, licet numerus Ecclesiarum ad singulas pertinentium — prima excepta — variaret, prout nonnullae Ecclesiae vel in Matrum dignitatem fuerant evectae, vel ad Filiarum conditionem depressae.

Prima et — partim ob vetustatem, partim ob numerum coetuum, partim ob peculiaria Privilegia Juraque — *spectatissima, erat Fraternitas Viginti Quatuor Regalium Plebanorum*, ad quam e numero Viginti Quatuor Regalium Civitatum Terrae Scepusiensis, viginti et una, eae quippe referebantur, quae Plebanis suis frugum campestrium decimas reddebant, adscitis praeterea in consortionem tribus pagis, eadem necessitate obligatis. Earum seriem ita exponemus, ut primum Civitates seu Oppida, deinde vicos commemoremus. Est vero omnium ordo hic: 1. Leutschovia, (Lewcsa, Lewcza, Leutschau, Löcse, Lewocà). 2. Olassium, (Villa Latina, Villa Italica,

Wahlendorf, Wallendorf, Olaszy, Wlachy, Wlaska). 3. ralium, (Varalia, Suburbium, Kirchdrauf, Kirchdorf, S pes-Vàrallya, Podhrad). 4. Neocomium, (Neofon Nova Villa, Iglovia, Iglo, Neudorf, Spiská nowá w 5. Libica, (Leibicium, Leibic, Lewbicz, Lebicz, Lubi 6. Bela, (Biala). 7. Menhardivilla, (Menhardinum, M hard, Mennersdorf, Wrbowo). 8. Popradinum, (Villa T tonicalis, Poprad, Deutschendorf). 9. Mons Sancti Ge gii, (Georgio-Montium, Georgenberg, Spiská Sobot 10. Filcavia, (Filca, Felka, Fölk, Völk, Welká). 11. civilla, (Eisdorf, Zsakotz, Sakotz). 12. Durandivi (Durlsdorf, Thurlsdorf, Twarozna). 13. Compositivi (Kaposztafalva, Kapsdorf, Hrabussice). 14. Fanum San Ladislai (Quintoforum, Donnersmarkt, Ctwrtek). 15. Vi Sperarum, (Villa Ursi, Sperndorf, Baerensdorf, Illyesf Eliassowce). 16. Villa Palmarum, (Pulom, Palms Harichocz). 17. Odorinum, (Dirn). 18. Mühlenbac (Möllenbach, Mollynpach, Limbach). 19. Villa Rusq (Ruszquinium, Riesdorf, Riszdorf, Rusquinocz). 20. No (Villa Noctuarum, Eulenbacium, Velbach). 21. Villa rini, (de Sancto Quirino, Cyrene, Kirn). 22. Mega-L nicium, (M. Lomnicium, Grosz-Lomnicz, Kakas-Lom 23. Villa Canis, (Hunnisvilla, Hunsdorf). 24. Villa S (Schwabsdorf, Schwabocz).

Secunda Fraternitas fuit Superioris Fluvii He (Hernath), ad quam pertinebant: 1. Villa Thomae, (Th dorf). 2. Villa Marci (Markusfalva, Marksdorf), Haraszt (de Rubo, vel Dumeto). 3. Fanum Sancti dreae. 4. Villa Somogi, (Somegi, Schmegna, Schmi Smizsany). 5. Widernik. 6. Villa Farkasii, (Farkasf Farksdorf). 7. Wogendrossel, (Wagendrössel, W drüssel). 8. Leton, (Lothon, Lethenfalva, Lethens 9. Grenica, (Granicz, Hranownica). 10. Schawnik, (S nik, Schewnik, Stiavnik). 11. Villa Abrahami, (Abr Abrahamsdorf). 12. Bethlehemfalva, Bethlenfalva, Bet

dorf). 13. Porach, (Porats). 14. Zawadka. 15. Pikocz, (Pickfalva, filia villae Abrahami dum Evangelica sacra profiterentur incolae).

Tertio loco habebatur Fraternitas inferioris Fluvii Hernad, quae complectebatur: 1. Sanctum Laurentium, (Stentzelhaus, Brutocz). 2. Radioltz, (Ragyolcz). 3. Betaniam (Mindszent, Bijacowce). 4. Polyankam. 5. Superius Répas (Felsö-Répas). 6. Jemnik, (Jamnik). 7. Harakocz. 8. Richno, (Reichenau). 9. Doman, (Domanyfalvam, Domańowce). 10. Görgö, (Garga, Harhow). 11. Körtvélycs, (Grewscha, Grausch, Hrussow). 12. Olyssavicam. 13. Namessan. 14. Sigram. 15. Korotnokinum. 16. Villam Dionysii, (Dienesfalva, Densdorf, Danissocz). 17. Slatvinam. 18. Superius Salokinum. 19. Kluknaviam. 20. Drawec, (Autz). 21. Altznaviam (Oltzno). 22. Kalatsko, (Klotsch). 23. Volkmarinum, (Folkmar). 24. Pongraczfalvam.

Quarta Fraternitas Superioris Fluvii Poprad numerabat haec loca: 1. Mega-Salocium, (Nagy Szalok, Grosz Schlagendorf, vel Schlakendorf). 2. Villam Botisi, (Batisfalvam, Botzdorf). 3. Csorbam, (Tschyrbam, Strba). 4. Lucsivnam, (Lucyna, Lautschburg). 5. Teplicam. 6. Kubacium, (Kybach, Kobach). 7. Villam Gerlaci, (Gerlachfalva, Gerlsdorf). 8. Kravenam, (Krawanium, Kuhschwanz). 9. Ganocinum, (Gansdorf). 10. Mengusfalvam, (Mengsdorf). 11. Sultam, (Oseletzinum, Hoszulecz). 12. Villam Matthaei, (Matthaeocz, Matthsdorf, Matthaeusdorf). 13. Sonnawam, (Ssunyavam, Schönau). 14. Villam Michaëlis, (Sztrazsa, Michelsdorf). 15. Wazsecium. 16. Lesznam, (Palaeo- et Neo-Sylvam, Walddorf).

Quinto ordine ponebatur Fraternitas Inferioris Fluvii Poprad, cui accensebantur: 1. Kesmarkinum, (Caesareoforum, Caseoforum, Tyropolis, Kaisersmark, Kesmark). 2. Holo-Lomnic. 3. Kis-Lomnicz, (Klein-Lomnicz). 4. Dussocz, (Bauschendorf). 5. Landek, (Landok). 6. Topporcz, (Topprecz). 7. Tótfalii, (Windschen-

dorf). 8. Viborna, (Bierbrunn). 9. Neere, (Nehre, Szt
ka). 10. Crucisvilla, (Kreuz, Szent-Kereszt). 11. R
Villa, (Rokusz, Rox). 12. Kreyga, (Krieg, Kreigh). 13.
dur, (Meltewer, Meltern). 14. Hundertmark, (Hun
morgen). 15. Villa Sancti Georgii, (Szent-György, Jur
16. Zdjar, (Morgenröthe, incolis sacra evangelica pro
tibus sequentibusque filia Villae Sancti Georgii).

Sexta Fraternitas fuit Fluvii Dunawec (Dunaj
quae comprehendebat: 1. Lapsam, (Lapis, Labs, Lapo
2. Friedmann. 3. Katzwinkel. 4. Hanusfalvam, (H
sau). 5. Krempach, (Krumpach, Dunawec-Kremp
6. Lechnicam. 7. Losznice. 8. Matthiasfalvam, (Vi
Matthiae, Matéfalu, Mattzau). 9. Nedeczke. 10. R
wald, (Reichwald). 11. Antiquam Villam. 12. Ny
13. Novam Belam, (Uj-Bela). — His accesserunt, p
quam Fraternitas Liblaviensis evanuisset: Gnasda, (K
sen) et Rusbacium (Rauschenbach).

Septimae Fraternitati Liblaviensi adtribuebantur: 1
blovia, (Libelau, Lublovia). 2. Gnesna, (Gniesen, Kai
Gnazda). 3. Hopgarten. 4. Nova-Liblo, (Neu-Liblau). 5.
bacium, (Rauschenbach). 6. Podolinum, (Pudlein).

Octavae Fraternitati Montanae seu de Viridi Ca
adsignabantur: 1. Göllnicium. 2. Jekelfalva, (Jekel
Jaklotz). 3. Krompacium. 4. Eremus, (Remete, Ei
del). 5. Schwedlerinum, (Schwaedler). 6. Szomol
num, (Schmöllnicz). 7. Stooszinum. 8. Habakukf
(Slowenky).

Septem priores Fraternitatum illarum Jurisdict
Praepositi Scepusiensis, octava Jurisdictioni Praeposit
Viridi Campo erant obnoxiae.

Harum Fraternitatum singula membra, tam sacri q
et civilis ordinis, emendata per Lutherum sacra ma
cognovisse adsensuque suo probasse, pluribus compr
potest argumentis. Etenim jam anno 1524 Joannes H
wath de Lomnica, Praepositus Scepusiensis et Sedis A

stolicae Proto-Notarius, severum contra Lutheri sectatores die 20. Aug. promulgavit Mandatum, manifesto documento, hoc tempore plures viros instauratae religionis doctrinae in Scepusio adhaesisse, eamque propagasse. Palmam hac in re Leutschoviensibus deberi, ex iis judicare licet, quae Conradus Sperfogel, Judex Leutschoviensis, in Annalibus Scepusiensibus, quae Carolus Wagner in Analectis suis per Compendium edidit, haec in verba refert: „Anno 1529 die 9. Nov. Venerabilis Dominus, Magister Sebastianus Henkel, Plebanus Leutschoviensis, solvit carnis debitum, qui fuit Vir omni laude dignus, nemini odiosus, nisi Lutheranis, et voluntarie et nequitiose errantibus in Fide, quibus se semper opposuit. Lutherani, quorum tum maxima copia fuit Leutschoviae, summo persequebantur odio et livore meritissimum virum, quibus si non in tantum restitisset, timendum fuisset, quod tota civitas tali haeresi infecta fuisset; nam Rector civitatis (Judex Georgius Mildt alias Kinast) fautor et promotor erat talium haeresium.“ Eodem anno Andreas Fischer Leutschoviae Lutheri dogmata studiose disseminabat. Ejus vestigia persecutus est Joannes Kletzko, juventae moderator, de quo Wagnerus in Analectis suis Sperfogelum ita inducit loquentem: „Anno 1535 Feria Quarta post Conductum Paschae, Joannes Kletzko, Scholasticus (Ludirector), petiit favorem quod Consulatus eum voluit licentiare, propter sectam Lutheranam, qua super omnes, quos anteą audivimus vel vidimus, infectus erat, et Scholares et Juvenes maxime infecit et a via christiana errare fecit.“ Exemplum Leutschoviensium secuta sunt mox alia Oppida Vicique Scepusii, quibus Formula Lutheri non diu mansit ignota. Etenim ante laudatus Fischer Igloviae quoque, Schwedlerini et in aliis Oppidis Montanis, Georgius vero Lewtscher (Lewdischer, Leuditscher) priore doctior, Leutschoviae, Michaëlisvillae, Kesmarkini, Toporcini, Mühlenbacii eam exponebant. Juverunt praeterea

doctrinae hujus progressum in Scepusio mercatores Lip-sienses nundinas obeuntes, qui domum reduces, quae apud exteros audiverant viderantque, familiaribus, rerum novarum studiosis, referebant. Insuper viri, qui literarum causa ad Academiam Vitebergensem (Leucoream) sese conferebant, quales — praeter Martinum Cyriaki, de quo res incerta est — Joannes Siegler Leutschoviensis et mox complures alii, Laurentius Serpilius Belensis, Bernhardus Gall, Damianus Graff, Georgius Melczer Vallicensis, Emericus Roxer Durandivillanus erant, domum remigrantes, accendendo divinae veritatis facem, multum de repurgato Evangelio in ora hac propagando meruerunt. Imo ipsi quoque adversarii, non parum ad divulganda Lutheri placita contulerunt. Cum enim humanae naturae proprium sit, ut in vetitum nitatur, negataque cupiat: accidit, ut intempestivum Praelati Scepusiensis c nonnullorum Plebanorum in religionem Evangelicam ejusque amicos odium, curiositatem plurium magis adhuc irritaret, eosque novae hujus doctrinae penitius cognoscendi cupidissimos redderet. Quare et scripta Lutheri avidissime legebantur et ejus formulae praecones, quoquo venerant, cupide audiebantur. Numero amicorum repurgati Evangelii in dies increscente, cum Capitulum Scepusiense veritati, quae torrentis instar Scepusium inundaverat, reprimendae impar se sentiret, effecit ut Ferdinandus I Imperator et Rex Hungariae, die 21. April. anno 15[illegible] Norimbergae Edictum vulgaret, quo Praelatis et Comiti Sedis Scepusiensis mandabat, „ut Parochos Viginti Quatuor Regales, cum universo eorum Clero atque subditis in antiquo Sanctae et Catholicae religionis atque fidei cultu, laudabilibusque ritibus et observationibus manuteneant et defendant, illisque cum opus fuerit, tam spirituali, quam seculari brachio, adversum damnatae religionis et doctrinae sectatores quoscunque, a sedibus eorum repellendos et exstirpandos, auxilium debitum et opportunum

praestent.“ Attamen Jussum hocce Regium, Neocomii, Varaliae, in Villa Latina et Teutonicali, Filcaviae, in M. S. Georgii, Libicae, Belae, in Villis Menhardi, Durandi, Rusquini, Michaëlis et Matthaei, progressum Evangelii morari nequiverat. Tredecim enim Oppida haecce, ab an. 1412 Poloniae Regi oppignerata, quamvis ratione Jurisdictionis Ecclesiasticae a Praeposito Scepusiensi penderent: tamen minas, a Regibus Hungariae jactatas, tanto minus perhorrescebant, quod et Poloniae Reges et Tredecim Oppidorum Capitanei (seu Starostae), ne peregrinum in Oppida hacc dominium agnoscere viderentur, neve quidpiam juribus suis derogari paterentur, etiamsi identidem a Praepositis Capituli Scepusiensis provocabantur, consilia eorum in opprimendis Evangelicis obsecundare sic satis cavebant. Hisce rerum adjunctis debetur, quod licet undecim numero horum, Polonis oppigneratorum Oppidorum, (utpote Neocomium, Váralium, Olassium, Popradinum, Filcavia, Mons S. Georgii, Bela, Libica, Menhardi-, Durandi- et Rusquini Villa) Viginti Quatuor Regalium Parochorum Fraternitati; duo vero (videlicet Michaëlis- et Matthaeivilla) Fraternitati Superioris Fluvii Poprad constanter adscripta manerent, neque per Pignerationem hancce, quoad mutuam ad se necessitudinem ullam subirent mutationem: tamen ad Civitatem (Staat) et Ecclesiam Romano-Catholicam, longe aliam, quam reliqui Coetus Evangelici, per Regnum Hungariae diffusi, nacta sint rationem. Cum vero Ecclesiae Evangelicae Tredecim horum Oppidorum — venerandae illius Fraternitatis Viginti Quator Regalium Parochorum reliquiae — nunc quoque peculiare corpus constituant, earumque fata et vicissitudines peculiaris quid habeant: neque supervacaneam, neque ingratam, nos navaturos operam existimamus, si earum casus et statum singularibus pagellis enarraverimus.

HISTORIA ECCLESIARUM EVANGELICARUM, QUAE NUNC SENIORATUM TREDECIM OPPIDANUM CONSTITUUNT, IN UNIVERSUM, A PRIMA EARUM ORIGINE AD HANC USQUE AETATEM.

Historiam Ecclesiarum, nunc Senioratui Tredecim Oppidano adtributarum, scripturis nobis, ratio coetuum Evangelicorum Tredecim Oppidanorum primum ad Civitatem et Ecclesiam Romano-Catholicam; deinde ad se invicem earumque Magistratum Ecclesiasticum habenda est. Quod ita faciemus, ut Capite primo prius, Capite secundo posterius momentum pertractemus.

Caput primum.

Ratio Coetuum Evangelicorum Tredecim Oppidanorum ad Civitatem et Ecclesiam Romano-Catholicam, a rei Evangelicae in Oppidis hisce incunabulis, usque ad peractam anno 1825 *Ecclesiarum harum Recensionem, canonum normae accommodatam.*

Duo sunt in Coetibus sacris, quae praecipuam attentionem exposcunt, Ecclesia quippe et Schola. Quarum utriusque fortunam separatim referremus.

Locus primus.

Ratio Ecclesiarum Evangelicarum in Tredecim Oppidis Scepusii ad Civitatem et Ecclesiam Romano-Catholicam, ab earum Origine ad annum 1825.

Periodus prima.

A Coetuum in Tredecim Oppidis primordiis, usque ad Templa anno 1674 *erepta et Pastores in exsilium ejectos.*

In Tredecim Oppidis, Polonicae potestati subjectis, sacra per Lutherum instaurata tanto facilius — per religionis potissimum Doctores, quales Belae Laurentius Ser-

pilius, Libicae Salamo Regnerus, Igloviae Bartholomaeus Bognerus, Váralii Damianus Graff (Groff), in Monte Georgii Antonius Philadelphus, Menhardivillae Laurentius Buchwald fuere — propagari laetaque capere incrementa poterant, quod hac in causa Oppidorum horum Incolis a Magistratu arcis Libloviensis; propemodum nulla objicerentur impedimenta. Nam severissimum Petri Kmitha de Wissnica, Supremi Tredecim Oppidorum ab an. 1529 — 1533 Capitanei Mandatum, Cracoviae anno 1533 contra Anabaptistas confectum, ad Tredecim Oppidanos Evangelicos, labe illa nequaquam infectos, non pertinebat. A moliminibus autem Joannis et Caspari Matziejowszky, eos provida numinis cura mirifice liberavit. Prior quippe tributum (sub nomine königlicher Zins notum) serius pendendum, sibi repraesentari (baar bezahlen) poscebat; quod quia Oppidorum Comes negabat, Joannes noster ira incensus anno 1579 juravit, se, si ex Polonia redierit, omnia Jura Tredecim Oppidanorum deleturum, Oppidorumque incolas ad rusticorum conditionem detrusurum, et Templis occupatis, Patres ex Societate Jesu introducturum. Posterior vero, Loyolitarum artibus corruptus, quod a Tredecim Oppidanis magnam pecuniae summam successive ex tributo subducendam non obtinuerit, similiter juravit, se, si ex Comitiis Regni Poloniae redierit, Nostratibus Ecclesias (Templa), Parochias et Scholas ademturum, Pastores Evangelicos ejecturum et — sicut Libloviae, Rusbacii et Podolini fecerat — pro iis Jesuitas substituturum. Enimvero quominus minae hae ad effectum adducerentur, Joannem repentina mors impedivit; vix enim limitibus egressus erat, jam torminibus correptus, Cracoviae animam, ultionis cupiditate ingensam, efflavit. Caspari autem comminationes eo in irritum ceciderunt, quod aere alieno obrutus, ut nomina expediret anno 1587. Starostiam (seu Capitaneatum) Scepusiensem Sebastiano Lubomirski 24,000

Florenis vendere fuerit coactus, neque unquam amplius Scepusium viderit.

Reliqui Tredecim Oppidorum Capitanei, Evangelicis Oppidorum horum incolis, non erant inimici. Etenim Joannes Bonar de Balicze, Oppidorum Pastores literis, die 23. Aug. 1559 ad eos datis, 'monuit hortabaturque, „ut in officio sint diligentes, timorem dei prae oculis habeant, purum et intaminatum Evangelium Jesu Christi populum doceant.“ Nicolaus vero Matziejowszky, eorundem Oppidorum Parochis, die 12. Nov. an. 1565 ad arcem Lublyoviensem convocatis, tutelam promisit, si secundum verbum dei, in Augustana Confessione exhibitum, populum docuerint et sacramenta, Christi institutioni convenienter administraverint. Sebastianus insuper Lubomirski (1587–1607) Tredecim Oppidanos Evangelicos „in puritate veri et sinceritate doctrinae“ defendit. Ejus denique filius Stanislaus (1607—1649) se et in posterum eos contra Episcoporum Pontificiorum nefarios conatus, dummodo sibi a Calvini placitis caveant, tuiturum sancte pollicitus est.

Eandem benevolentiam etiam Rex Poloniae, Sigismundus, in Tredecim Oppidanos Pastores eo contulit, quod anno 1548 eorum Privilegia rata fecerit. Hungariae quoque Reges, Ferdinandus I., Maximilianus II. et Rudolphus II. partim eo, quod Viginti Quatuor Regalium Confessionem probarunt, partim eo, quod Pastorum et Viginti Quatuor Regalium universe, et nominatim Tredecim Oppidanorum Privilegia, annis 1548, 1555 et 1578 confirmarunt atque exercituum praefectis, ut ab omnibus impetitionibus eos tuerentur ac defenderent, mandarunt, progressum Evangelii in Tredecim Oppidis non parum juvere.

Ipsorum adeo nonnullorum Capituli Scepusiensis Praelatorum liberalitas, rei Evangelicae, in commemoratis hisce Oppidis propagandae, seculo XVI. favebat. Nam Joannes Horvath quidem de Lomnica, Capituli Scepusiensis Praepositus, initio vehemens Lutheri sectatorum adversarius,

postremo muneris sui tempore non modo mitiorem sese exhibuit, sed et missa Praepositi provincia uxoreque anno 1545 sibi matrimonio juncta, multos exemplo suo ad deserendam formulam Romanam invitavit. Ejus vero successor, Stanislaus Cibiniensis, legatis Fraternitatis Viginti Quatuor Regalium Parochorum, eum anno 1545 salutantibus, doctrinam Evangelicam commendavit, caerimoniasque superfluas, in scriptura sacra non fundatas, abolendas esse pronuntiavit, sacerdotesque Brigae ordines petere permisit. Aeque benignum erga Viginti Quatuor Regalium Parochos, jam propemodum omnes Evangelicos, sese Praepositus Blasi praestitit, qui ipsos die 22. Maji an. 1555 congregatos, in ipsa domo Parochiali Venerabilis Capituli, Seniorem creare permisit. Seriori tempore Praepositus, Gregorius Bornemissza, Plebanis die 30. Nov. 1570 in Capitulum convocatis, fidem fecit, se eos, eorumque orbos tueri velle. Ejus successor, Martinus Petheö (Pethe), dum a nuntiis XXIV. Regalium Plebanorum, censum Cathedraticum reciperet, eos hortatus est, ut Confessionem potius Augustanam retineant, quam ad Calvinianam sectam deflectant, pollicitus, si illam firmiter servaverint, eos et a se et ab ipsa quoque Imperatoria Majestate defensionem habituros.

His rebus secundis ita in suum commodum usi sunt, Tredecim Oppidorum Incolae, ut ab anno 1545 loco Plebanorum Catholicorum, morte functorum, pedetentim Parochos cooptarent, formulae Lutheriae addictos, quibus cum Templis et Parochiis; omnia quoque Jura, Commoda atque Beneficia Parochialia, et in his decimas — quas eos percipere etiam Ferdinandus I. Privilegio suo anni 1548, Rudolphus II. Privilegio d. 29. April. 1578 et Comes Georgius Thurzo, Regni Hungariae Palatinus, Diplomate anni 1610 voluit — concesserunt, tradideruntque.

Dum ita Tredecim Oppidani plena fruerentur libertate, suum in statuendo de religione sequendi judicium,

suaque ultendi persuasione, anno 1558 concorditer constituerunt, „se in Confessione Augustanae congrua, a Leonhardo Stöckelio, Bartphensi, Scholae patriae Satore ejusque ab an. 1539—1560 Rectore, pro Quinque Civitatibus Liberis Regiisque Superioris Hungariae conscripta, quam Imperator et Rex Ferdinandus probavit, adquiescere velle.“ Ab eo tempore integro seculo XVI. prospera plerumque sorte usi sunt Tredecim Oppidani Evangelici. Nam si quae religionis causa ipsis interdum impendebant pericula, haec mox prudentia, mox audacia sua, amoliebantur. Ne enim Synodus, per Praepositum Scepusiensem, Gregorium Bornemissza, in Dominicam Jubilate anni 1569 indicta, iis quidpiam noxae adferret, Symbolo per Valentinum Megandrum Igloviensium et Cyriacum Obsopaeum Váraliensium Pastorem conscripto, a Confessione Quinque Liberarum Civitatum verbis, non sententia diverso, sese praemuniebant. Edicti vero Maximiliani II. Imperatoris contra Sacramentarios, Arianos et hujus generis haereticos lati, atque Viginti Quatuor Regalium Plebanis die 30. Nov. 1570 in Capitulo Scepusiensi, per Praepositum promulgati, tanquam illos non concernentis, nullam experti sunt noxiam vim et efficacitatem. Eundem Praepositum confirmantem, se a Rege Hungariae in Mandatis accepisse, ut Parochos, qui non a legitimis Episcopis Romano-Catholicis ordines sacros suscepissent, vel solum vertere, vel religionem Romano-Catholicam amplecti juberet, collectis anno 1582 aureis quinquaginta placarunt. Importunae denique sollicitationi Joannis Váraliensis, Generalis Capituli Scepusiensis Vicarii, ut olei unctorii usum in Templis et sacris suis adoptarent, in Congregatione Quintofori an. 1585 celebrata, non sine indignatione restiterunt.

Sed quo laetiora incrementa sacra repurgata seculo XVI. in Tredecim Oppidis capiebant, tanto tristior fuit Parochorum, quorum reditibus undique inhiabatur, in Op-

pidis hisce conditio. Nam primum quidem Capitanei atque Officiales Liblovienses, interdum dimidias Parochorum decimas, ex campis rapiebant, vel bona Pastorum vita functorum, occupabant, aliasque grandes exactiones faciebant; deinde Praepositi Capituli Scepusiensis, a Tredecim Oppidorum Plebanis pecuniam et frumentum praeter jus extorquebant; praeterea Magistratus Comitatus Scepusiensis, per longam annorum seriem, subsidium bellicum poscebat; insuper Seditiosi, terram Scepusii frequenter inundantes, rem Parochorum familiarem pessumdabant; ipsi denique Paroeci, nec integris, nec justis decimis reddendis, suos animarum curatores defraudabant; atque peculiaria insuper onera, literis Vocatorialibus vel Inventariis inscripta — ut necessitatem Scholae Rectoribus et Ludimagistris stipendia dandi, vel pauperes literarum studiosos alendi — in eos devolvebant. Rapacitatem autem hancce, ne Regum quidem et Capitaneorum Libloviensium — ut Maximiliani Hungariae et Sigismundi Augusti Poloniae Regis anni 1555., item Rudolphi Hungariae Regis an. 1578, atque Starostae Nicolai Matziejowszky ann. 1566 — Mandata, satis coërcere poterant.

Minus favebat Rei Evangelicae in Tredecim Oppidis, seculum *XVII.* Nam seculo hocce primum Capitulum Scepusiense, saepius sibi inimicum experti sunt Tredecim Oppidani Evangelici. Hoc namque Capitulum, contra violatores Jurium defendere eos morabatur; praeterea Templis eorum et aperte (ut Váraliensi et Olassensi an. 1604, Durandivillano item anno 1612) et simulatione Canonicae Visitationis, quam an. 1604 Martinus Petheö, an. vero 1626 Ladislaus Hoszszuthóty indixerat, inhiabat; insuper causis matrimonialibus sese immiscebat ita, ut divortia per Fra-

tres facta, irrita pronunciaret (ut Váralii an. 1632), vel Sponsalia legitime contracta dirimeret (anno 1663).

Eadem ratione Capitanei et Vice-Capitanei Tredecim Oppidorum Scepusiensium, atque alii Officiales Liblovienses, varie Jura et Immunitates Tredecim Oppidanorum violabant. Insidiabantur quippe Templis Evangelicis (ut Lubomirski an. 1616); bona relicta Pastorum mortuorum sibi vindicabant (ut Olassii, ubi Schnellianos heredes anno 1615 septingentenis cubulis orbarunt); Pastores coetibus obtrudebant (ut Joannes Tworsianski, Durandivillanis Joannem Wagnerum, Libicensis Ecclesiae Diaconum an. 1668); in cooptatos Pastores, muneribus praeficiendos consentire tergiversabantur (quod an. 1647 Tobiae Weisz, Popradini accidit); facultatem vocandi Parochum aegre concedebant (ut Durandivillanis an. 1651) formam docendi praescribebant et eos, qui eam migrarent (ut Windischium et Peschevium anno 1663) plectebant; Pastores malevolis exosos (ut Benedictum Schimeragium Popradensem an. 1631) vi ejiciebant; Pastores suspectos persuasionis et doctrinae a placitis Lutheri alienae (ut Joannem Serpilium Libicensem an. 1635) suppliciis adficiebant; Pastores reos, fratrum sententia damnatos (ut Sturmium Popradensem an. 1645) absolvebant, absolutos damnabant; Senioris Praesentationem — sit venia voci barbarae — (Tworsianski anno 1663) poscebant; Fraternitatem ad probanda matrimonia, in gradibus prohibitis ineunda, vel divortii sententiam, contra fas pronunciandam adigebant (ut Kobierski d. 30. Jun. 1660). Extendebant autem hanc suam potestatem et Capitulum et Polonicus Magistratus seculo XVII. in dies propemodum, ita, ut semper plura sibi arrogantes, Jura Evangelicorum manifesto convellerent, neque prius illos vexare desinerent, quam ipsis Templa, Parochias, Scholasque eripuissent, eorumque Pastores in exsilium ejecissent. Sed exponamus rem, ut temporum postulat ordo.

Quoniam Clerus Hungaricus, in Lutheranis opprimendis et exstirpandis conspiravit: *Martinus Petheö,* Episcopus Varadiensis, Locumtenens, et Capituli Scepusiensis Praepositus, jam ad amplissimos Archi-Episcopi Colotsensis et Bacsensis, nec non Administratoris Episcopatus Jaurinensis honores provectus, Imperatoris Rudolphi II. et Poloniae Regis Sigismundi III. (die prima April. 1604) Mandata, de Templis in Tredecim Oppidis ab Evangelicorum possessione vindicandis, et remotis non legitimis dominis, veris Parochis (Catholicis) iis praeficiendis, impetravit. His instructus die 11. Sept. an. 1604 in Capitulo Scepusiensi comparuit, atque coactis Comite (Grafio) et Tredecim Oppidorum Judicibus. Regium Mandatum protulit, quo universi Tredecim Oppidorum Habitatores Templa Archi-Episcopo Colotsensi aperire, illa ipsius potestati et ordinationi permittere atque quoscunque ille Parochos Ecclesiis admoveret, eos veros ac legitimos Pastores et Parochos habere jubebantur, nemine alio, praeter eos, ad functiones muneris sacri, admisso. Mandato promulgato Templa sibi resignari jussit, vividis adumbrans coloribus periculum, in quod sese Tredecim Oppidani conjecturi essent, si Imperato regio obtemperare reluctarentur. Oppidorum Comes, Martinus Pilcz, eos quidem ad parendum Regi, obligari reposuit, sed cum Jussum hocce divinis legibus repugnet et animae salutem in discrimen vocet, imo ipsi quoque Constitutioni Regni Poloniae adversetur: decrevisse eos profugere ad Regem, eique, quaenam Templorum, in Tredecim Oppidis ratio esset, aperire. Post longam disceptationem Petheö in provocationem (appellationem) ad Regem consensit, sed ipse quoque Casparum Andaházy, Canonicum et Lectorem Capituli Scepusiensis, ad Regem Poloniae delegavit, qui Tredecim Oppidanos Evangelicos contumaciae et inobedientiae accusaret, novumque Mandatum de Templis Archi-Episcopo cedendis impetraret. Nuncii Tredecim Oppidani, Comes Martinus Pilczius, Andreas

Baier, Monte Georgiensis, et Jonas Dirner, Tredecim Oppidorum Notarius, in Poloniam ablegati, priusquam Regem adirent, Principis Sebastiani Lubomirski opem et auxilium implorabant; qui viso eo, Tredecim Oppidanos Jus praesentandi ad Ecclesias (id est jus coetibus sacris sacros Curiones Mystasque praeficiendi) habere, iis auctor fuit, ut si ipse Cracovia discesserit, Regi pro Privilegiis, quibus gaudent, illaesis inviolatisque conservandis, supplicent. Si vero Rex nihilominus postulationi suae insisteret, eos Templa retinere declarareque jussit, nefas eis esse Principe inscio et invito, in ordine solemni quidpiam immutare. Discedente Lubomirio Tredecim Oppidani nuncii, Regem literis supplicibus precabantur, ut eos in possidendis Templis confirmaret. Libello lecto, ut sibi Sigismundus persuaderet Tredecim Oppidanis Jus Patronatus, quod vocant, Privilegiis, qualia in Polonia nulla habebat Civitas, esse concessum: ipse illa inspicere voluit. Haec postquam accepisset et in nonam usque diem detinuisset tandem Scepusiensium suorum legatis, per Vice-Cancellarium declarari jussit, videre se Tredecim Oppidanos Jus habere Ministros vocandi, cum vero illi non Ministros, sed Pastores alant, fieri non posse, ut illos ultra retinere queant. Praecipere igitur se, ut vel Catholicos Ministros cooptent, vel Templa Archi-Episcopo Colotsensi, Martino Petheö, reddant, alioqui poena 20,000 Florenorum plectendi. — Non valuit explicatio Nostratium, Pastores inter et Ministros nullam esse differentiam; responsum enim fuit nunciis: „secundum vos, sed non secundum nos.“ Quare nuncii viso eo omnem ulteriorem supplicationem nihil profuturam, negotium inter se ita partiti sunt, ut Jonas Dirner prius, quam Andaházy, cum Mandatis Regiis ad Scepusium reverteretur, celerrime domum revolans, templis custodiendis prospiceret, ipse vero Comes cum Baiero ad Principem, in Nowajowa commorantem, sese conferret, quid amplius actu opus esset, perquisiturus. Capitaneus consilium ante

suppeditatum repetiit, legatos domum properare, Templaque custodire jussit et usque suum adventum ad Scepusium Archi-Episcopo tradere vetuit; Vice-Capitaneo autem Lodzinsky mandavit, ut si quae perferrentur literae, ipsi (principi) inscriptae, eas supprimeret, neque ulla ratione in Episcoporum conatus consentiret. Andaházy serius quam Dirner, prius tamen aliquantulo, quam Comes cum Baiero Scepusium attigit. Exsultatio erat in Capitulo summa, cum Episcopus Tinniensis, quid Cracoviae effecerit, referret. Adversarii Nostratium jam se Templa in Tredecim Oppidis possidere opinabantur. Quare quam primum Petheö de Comitis reditu edoctus fuit, actutum eum, in Capitulum arcessitum rogavit, quidnam Cracoviae perfecerit? an Templa, ut Rex jubet, ei reddere velit, vel 20,000 Florenorum mulctam, si amplius restiterit duplicandam, solvere malit? Comes respondit: Tredecim Oppidanos semper Regis praescriptis paruisse, cum tamen praesens Mandatum religioni Evangelicae adversum sit et animae salutem in periculum adducat: se tanto minus in Regis Jussa consentire posse, quod absit Starosta, cujus est Tredecim Oppidanorum Privilegia tueri, et sine cujus permissione eis nihil liceat suscipere. Archi-Episcopus regessit: Regis majorem quam Starostae esse auctoritatem. Principis erit, retulit Pilczius, facti rationem reddere. Igitur non reddetis Templa? interrogavit Archi-Episcopus. Minime, respondit Comes; censum Cathedraticum vobis solvemus, templis egemus ipsi. Cum igitur Tredecim Oppidani sponte Templa Archi-Episcopo cedere nollent, vi illa in suam constituit redigere potestatem. Enimvero nefarios hosce Praepositi conatus, Váraliensis die 15. Sept., Olassenses vero die secunda Octobris per Capitaneum et Vice-Capitaneum animati ut vim vi repellerent, collocatis circa templa custodibus Praesidiariis, fortiter represserunt. Quare cum ne potentia quidem quod cupiebat obtineret Petheö, adhuc novum periculum fecit Comitem sociosque blanditiis adhi-

bitis, ad Templa ei tradenda permovendi. Sed quod hi immoti perstarent usque in posterum diem, eos quid agerent recogitare, et tum quid consilii ceperint sibi patefacere jussit. Die insequenti Comes cum sociis responsum daturus in Capitulo sese stitit, sed priusquam ad alloquium Praepositi fuisset admissus, perlatum fuit nuncium, Caesareos a Botskayanis propter Tibiscum ad internecionem esse deletos, et jam Scepusium versus, Archi-Episcopi intercipiendi gratia, properare. Rumorem huncce cum alter quoque Tabellarius confirmaret, Petheö rebus suis propere convasatis, salutem in fuga quaesivit; Capitulares vero in arcem Scepusiensem sese receperunt. Ita Templa Tredecim Oppidana — si pericula in censum voces, quae iis a Joanne et Casparo Matziejowszky impendebant, — jam tertium Nostratibus salva mansere.

Ab eo tempore Tredecim Oppidorum Parochi Evangelici, aliquamdiu ab impetibus adversariorum liberi, ut poterant, optime rebus suis consulere adnitebantur. Hoc consilio *a.* 1610 *Diploma a Georgio Thurzo*, Regni Hungariae Pro-Rege, impetrarunt, quo non solum de libero sacrorum usu iis cautum fuit, sed et privilegia eorum, nominatim ad facultatem testandi, decimasque exigendi pertinentia, confirmabantur, atque Superintendentem creandi, Consistoriaque erigendi potestas, tribuebatur. Favor hicce praebuit occasionem *Synodo, mense Januario anno* 1614 *Váralii celebrandae*, quae Canones Synodi Solnensis, nonnullis in punctis immutatos, probavit, duosque Superintendentes constituit, alterum *M. Petrum Zablerum*, Pastorem Leutschoviensem, Quinque Liberis Regiisque Civitatibus, alterum *Stephanum Xylandrum* Váraliensis coetus sacri Ministrum, reliquis coetibus per Scepusiensem et Sárossiensem Comitatus, praeficiendum. Xylander peracta electione in Superintendentis munus statim inaugurabatur: Zableri vero consecratio in diem 28. Junii ejusdem anni dilata fuit. Enimvero Xylander Superintendentis neque

titulum usurpabat, neque partes unquam obibat, quia et Vice-Capitaneus Tredecim Oppidorum Scepusiensium, Gembozinski, instituto huic adversabatur, et ipse Starosta Lubomirius, tantopere ab eo abhorrebat, ut ne quidem deprecatione Georgii Thurzo, Regni Hungariae Palatini, induci potuerit ad Electionem hancce adsensu suo probandam. Historia Synodi Váraliensis tam gravis nobis videtur esse momenti, ut a nobis impetrare non possimus, quin eam copiosius exponamus.

Anno 1610 mensis Aprilis die octavo, Comes Georgius Thurzo, Regni Hungariae Palatinus et Locumtenens Regius, Cassoviam tendens, Leutschoviae per Viginti Quatuor Regalium Seniorem, M. Petrum Zablerum Leutschoviensis et M. Stephanum Xylandrum Váraliensis Ecclesiae Pastores salutatus, Viris hisce Acta Synodi Solnensis, anno 1610 celebratae, legenda exhibuit, ex quibus patebat, in Decem Comitatibus Cis-Danubianis, Articulis Comitiorum anni 1608 convenienter, Palatino auctore et promotore Superintendentes electos, peculiaremque ordinem Ecclesiasticum introductum esse. Cum vero institutum hocce Zablero quoque et Xylandro, non displicere animadverteret Thurzo, suam iis operam, ad similem ordinem in his quoque partibus constituendum, obtulit. Paulo post, octava Julii, eodem anno, literis Cassovia ad Fraternitatem Viginti Quatuor Regalium dimissis hortabatur, ut coactis omnibus Pastoribus, Scepusiensibus Ecclesiis Praepositis, Acta Synodi Solnensis praelegantur, adoptentur, atque junctim cum Nobilibus Augustanae Confessionis in Comitatu Scepusiensi degentibus, Superintendens creetur. Fratres Leutschoviae die 23. Julii congregati in eo convenerunt, se Palatini voluntati obsecuturos, quam primum Magistratus civilis de Superintendentibus et Pastoribus, contra adversariorum injurias defendendis, cavere voluerit. Nobilitas hac de re per nuntios Fratrum, die 27. Julii appellata, si commune periculum immineret, tu-

telam non negavit, sin privatum, quod illis impenderet, qui Formulam Concordiae amplecterentur, aperte declaravit, cum librum Concordiae, quem Acta Solnensia in fidem recepissent, ex animo aversarctur, se illius amicis opitulari nolle. His praeparatis M. Stephanus Xylander, Váraliensis, Georgius Zaar Gergensis, et Martinus Waimann, Toporcensis, Pastores a Fratribus Cassoviam fuere ablegati, ut non solum Confirmationem Privilegiorum, Viginti Quatuor Regalibus Plebanis ante concessorum, sed et Diploma, ad bonum ordinem in rebus Ecclesiasticis inducendum servandumque pertinens, impetrarent. Commodum advenerunt eo Sárossiensium quoque legati, qui viso exemplo Privilegii, pro Scepusiacis Evangelicis jam confecti, Palatino supplicarunt, ut ejusdem illos quoque compotes redderet. Indulsit Palatinus ea lege Sárossiensium precibus, ut sociatio talis Juribus Viginti Quatuor Regalium Parochorum nihil detrimenti ferat, Superintendens ex eadem Fraternitate eligatur, ipsumque Diploma in ea ipsa Fraternitate adservetur. Obtento Privilegio, Leutschovii ipsa Andreae die, anno 1610 solemnis omnium Scepusii Fraternitatum Congregatio, Superintendentis eligendi gratia celebrabatur. Verum enimvero, partim quod nullus adesset fons decernendorum Superintendenti Stipendiorum, partim quod Praepositus Capituli Scepusiensis, censui sibi subtrahendo intercederet, partim quod Sárossiensium legati abessent, partim denique quod ex novo ordine inducendo plurimi non modo nulla emolumenta sibi pollicerentur, sed adeo gravissima damna praemetuerent: negotium hocce, ipsa etiam Nobilitate in Pastorum sententiam discedente, ad futura Generalia Regni Comitia, hac potissimum de causa fuit dilatum, quod speraretur ibi Evangelicos, censu Cathedratico, Clero Romano-Catholico pendendo, liberatum iri. Dilatio haec, cum Palatino minus probaretur, eo jubente ad Calendas Augusti an. 1611 Liberis Regiisque Civitatibus et utrique Sárossiensi et Sce-

pusiensi Comitatui, Synodus Cibinium fuit indicta. Enimvero quod major legatorum hic congregatorum pars novum ordinem respueret: Synodus re infecta solvi debebat. Perpetua oblivione jam videbatur causa haec esse obruta. Verum postea quam Christophorus Thurzo, Palatini Frater, Supremus Comitatus Scepusiensis et Sárossiensis Comes, ad Sacra Evangelica, a quibus desciverat rediisset, mense Majo 1613, quatuor ad Palatinum misit legatos, qui impetrarent literas testes commissae potestatis, ordinem Ecclesiasticum libere instituendi. Annuit Georgius Thurzo votis et desideriis Fratris et non solum hunc in Synodi, hoc consilio loco et tempore arbitrariis celebrandae, Praesidem suumque Vicarium constituit, sed et peculiaribus literis d. 12. Maji 1613 Liberas Regiasque Civitates et Oppida Scepusiensia provocavit ad nuntios ad Synodum hancce mittendos. Ipsum insuper Lubomirskium, Tredecim Oppidorum Capitaneum, rogabat, ut ex Tredecim Oppidis nuntios ad Synodum hancce ablegare velit. Verum Princeps, a Pro-Regis consilio alienus, per Vice-Capitaneum Libloviensem, die 22. Maji 1613 Tredecim Oppidorum Comiti praecepit, ut Capitaneatus Scepusiensis Pastores dehortaretur ab immittendo sese rebus inusitatis. Mandato accepto Comes novae huic constitutioni sese prorsus opposuit. Pervicacia haec occasionem dedit Congregationi Durandivillae die 4. Julii habendae, ex qua Christophoro Thurzo rescriptum fuit, optare Pastores Viginti Quatuor Regales jungi Quinque Liberis Regiisque Civitatibus retento suo Seniore cui cum Superintendente Comitatuum sit necessitudo; si vero Liberae Regiaeque civitates consociationi huic resisterent, Viginti Quatuor Regales in electionem Superintendentis consentire, modo ob factum hocce et coram Polonico et coram domestico Magistratu excusentur, atque Stipulationem nanciscantur, de sui in causa religionis et conservandorum Privilegiorum defensione. Nunciatum praeterea fuit Comiti Thurzo pruden-

tiam suadere, ut Viginti Quatuor Regales censum Cathedraticum ultra Praeposito Capituli Scepusiensis pendant, eos igitur hac de causa curam Salarii Superintendentis arbitrio Comitatuum et Liberarum Civitatum deferre. Vix vero decreta haecce Fratrum in arce Liblovienst innotuerunt, jam d. 8. Julii 1613 novae literae Vice-Capitanei ad Tredecim Oppidorum Graffium advolarunt, quibus Pastores Tredecim Oppidani, sub amissione bonorum imo et capitis vitaeque prohibebantur, quidpiam mutare aut innovare in Ecclesiis earumque pristinis consuetudinibus. Lecto Edicto Grafius Tredecim Oppidorum Pastoribus auctor fuit, ut Supremum Comitem Christophorum Thurzo permoverent, ad Polonicum Magistratum per legatos edocendum instituto hocce nihil aliud, quam meliorem ordinem intendi. Prius tamen, quam nuntii sese itineri accingerent, redditae erant Christophoro Thurzo, Stanislai Lubomirski literae diei 12. Julii 1613, quibus Princeps pronunciavit: „Pastores in Tredecim Oppidis viventes, si quid attentaverint sine permissu suo, disgratiae poena mulctatum iri.“ Severitas haecce effecit, ut Fratres in Congregatione diei 21. Nov. 1613 Quintofori habita, sancirent, Tredecim Oppidorum Pastores, ob Magistratus Polonici pertinaciam, a Synodo abesse debere. Quoniam tamen eo non obstante Pastores hi ad Synodum d. 22. Jan. 1614 Váralii celebrandam, per Christophorum Thurzo solenniter invitabantur: Fratres Rusquinium convocati, audita Grafii declaratione, „se cum Tredecim Oppidorum Judicibus in negotio religionis salva Polonici Magistratus auctoritate, a regno Hungariae dependere velle,“ demum mutata priori sententia, in adoptandum justis sub conditionibus novum ordinem consenserunt. Fama rei ad Vice-Capitaneum Gembezinski perlata: hic novo Mandato diei 18. Jan. 1614 Tredecim Oppidorum Pastores hortabatur: „ne novis sese submittant legibus, neve novos sibi quaerant Magistratus.“ Ceterum quoniam in rebus Ecclesiasticis,

Supremus Tredecim Oppidorum Dominus Rex Hungariae erat, hujus autem Regni leges anni 1608 Evangelicis Superintendentum ordinem concederent et probarent: Fratres iterum condixerunt, se ex sui numero Martinum Reymannum Mega-Lomnicensium et Leonhardum Paludinum Suevivillanum Pastorem, ad Synodum Váraliensem missuros, qui absentiam Tredecim Oppidanorum Pastorum ob minas Polinici Magistratus excusarent, declararentque eos hac de causa cogi ad pristinum ordinem retinendum, promitterent tamen Tredecim Oppidanos Pastores cum electo Civitatum vel Comitatuum Superintendente nexum habere et mutuam amicitiam fovere velle, denique rogarent, ne Undecim Oppida in rebus Ecclesiasticis a Tredecim Oppidis avellantur.

Advenit tandem vicesima secunda Januarii dies, qua Synodus initium capere debebat. Confluxerunt legati Procerum, Comitatuum, Fraternitatumque Váralii, atque in domo Praetoria consederunt. Precibus recitatis, Canonici duo Capitulares intercedebant auctoritati Synodi, Capitulo non salutato coactae. His recedentibus Viginti Quatuor Regalium nuncii, causas exposuerunt, ob quas nullus Tredecim Oppidanorum Pastorum comparuerit. Postea statim Viginti Propositiones lectae erant, Articulis Solnensibus paucis mutatis vel additis congruae, quibus modus novi Ordinis Ecclesiastici, in duobus hisce Comitatibus Scepusiensi et Sárossiensi introducendi, finiebatur. Ut vero de iis adsciscendis liberius quaeri posset, Legati Quinque Liberarum Regiarumque Civitatum, a reliquis in peculiaria loca secesserunt. Reduces postea in Consessum declararunt, se Quinque Liberarum Regiarumque Civitatum Seniorem, M. Petrum Zablerum, Pastorem Leutschoviensem, in Quinque Liberarum Regiarumque Civitatum Superintendentem elegisse. Hoc audito reliqua Legatorum Synodi pars, Candidatos pro Superintendentis per Scepusiensem et Sárossiensem Comitatum munere constituit M. Stephanum Xy-

landrum, Georgium Zaarium, Pastorem Teplicensem, Georgium Kurkovitzium, Pastorem Palotsensem, et Matthiam Zarevucium, Pastorem Berzevicensem. Ex Candidatis hisce omnium suffragiis electus fuit M. Stephanus Xylander, quamvis a Synodo absens. Electione facta a duodecim Legatis, partim ecclesiastici, partim civilis ordinis, invitabat in Consessum — ut nuncii ajebant — consultationis causa. Conclave intranti Xylandro, Isacus Abrahamides, Hrochota, Bajmocensis Praepositus, Ecclesiarum in Comitatibus Posoniensi, Nitriensi et Barchiensi Superintendens, in Synodo praesens, concione applaudente nuntiat, eum in Superintendentem duorum Comitatuum esse electum. Xylander gratias agit, munus attamen deprecatur, ne se odio et vindictae cupiditati Magistratus Polonici exponeret. Sed frustra validissima profert argumenta; omnium precibus et vociferationibus obrutus, desiderii Synodi satisfacere cogitur. Admittit igitur invitus licet honorificentissimum munus, ea tamen lege, ut ei quandocunque eodem decedere liberum sit, si forsitan Magistratus Polonicus exorari non posset, ad ordinem hunccee assensu suo probandum. Qua de re cum Xylandro fides fuisset data: hic splendidissima pompa, eodem cum Abrahamide carpento, cui sex candidi equi juncti erant, vectus, in arcem Scepusiensem deducitur, et mox in Templo arcensi solemni ritu in Superintendentem inauguratur. Acta Synodi Váraliensis confirmavit Georgius Thurzo, Palatinus, peculiari Diplomate, cujus Archetypon in Tabulario Ecclesiae Leutschoviensis adservatur.

Vix autem opus hocce fuit consumatum, jam Cardinalis Franciscus Forgachius, forte tum in Capitulo Scepusiensi commorans, Capitaneum Libloviensem literis instigavit, ad Acta et Facta Synodi Váraliensis irrita pronuncianda. Eodem tempore ipse quoque Xylander Vice-Capitaneum per literas edocuit, qua lege munus Superintendentis acceptaverit. Ceterum providentia hacce impediri

non potuit, quin Libloviam in jus vocaretur. Deprecantur pro eo et Supremus Comes Christophorus Thurzo et ipse Pro-Rex Georgius Thurzo Capitaneum atque Vice-Capitaneum Tredecim Oppidorum Scepusiensium. Ad Capitaneum Lubomirski, Palatinus Thurzo die 11. April. 1614 literas dedit, quibus primum docuit, non alia de causa, quam boni ordinis conservandi, ergo Xylandrum in Superintendentem fuisse electum et inauguratum; instituto hocce, neque Regis Poloniae, neque Capitanei Scepusiensis Jurisdictioni quidpiam derogatum, neque Capitulo Scepusiensi censum cathedraticum subtractum iri; deinde petivit, ut Vice-Capitaneo demandaret, quo Xylandrum Superintendentis officio et ipse vacare permitteret et eum contra malevolorum injurias defenderet. Lubomirius aliis curis distractus, provinciam negotium hoc excutiendi et transigendi, Vice-Capitaneo Gembozinski detulit. Hic Xylandrum denuo citat. Quoniam vero ille non comparuit, Vice-Capitaneus triginta Cosacos ad Capitulum expedivit, qui finitis Paschatos festis Xylandrum ex insidiis caperent, Libloviamque deducerent. Sed Xylander de molliminibus hisce edoctus, in arce Scepusiensi perfugium invenit. Digressis Cosacis, cum Vice-Capitaneus postulato suo insisteret, Xylander tandem die nona Aprilis Libloviae sese stitit. Audita Pastoris, quod non prius Libloviam descenderit, excusatione, ipse Vice-Capitaneus mitior redditus, auctor ei fuit, ut ad Principem Lubomirski, de consilio muneris Superintendentalis perscriberet, veniamque illud administrandi rogaret. Brevi tamen post avarus Vice-Capitaneus, simulans se Rescriptum Principis Xylandro communicaturum, hunc denuo Libloviam arcessit, novemque dierum spatio detentum, non prius, quam accepto a Senatu et Communi Váraliensi vase vini, pridie Pentecostes salvum dimittit. Cum insuper Palatinus Thurzo apud Gembozinskium Xylandri causam ageret, factum est, ut ab hoc quidem Vice-Capitaneo non amplius infesta-

retur. Enimvero ejus successor Mienkicsky totum negotium refricavit et spretis tam Magistratus Oppidi Váraliae, quam et Praepositi Capituli Scepusiensis, ipsiusque Palatini deprecationibus non prius saevire cessavit, quam Xylander, Palatino quoque annuente Superintendentis loco cederet et abdicationis hujus, literas testes, Capituli sigillo munitas exhiberet, atque oblato per Váralienses vase vini, culpam expiaret.

Haec pervicacia Polona, prodromus fuit graviorum malorum. Etenim Stanislaus Lubomirski, Pastore Gniesnensi, Venceslao Spisko, anno 1615 munere orbato, facultatibusque ejus tercentorum Florenorum pretium excedentibus ademtis, minabatur, se omnes Tredecim Oppidorum Pastores Evangelicos ejecturum. Hac de re edoctus Georgius Thurzo, Regni Hungariae Palatinus, Lubomirium literis d. 28. Decembris 1615 orabat, ne Tredecim Oppidorum Pastores, quibus grandes exactiones imponebantur et injuriae adferebantur, contra Privilegia Regia, Diplomata Palatinalia et Constitutiones Regni, amplius sive ipse vexaret, sive Officiales suos vexare et opprimere permitteret, declarans, si preces suae irritae essent futurae, se Privilegii Imperatoris Rudolphi, Pastoribus his d. 29. April 1578 concessi, usum facturum, qui „nollens Ministros Ecclesiae, in Scepusio existentes, quorum praecipuus esset patronus, a quibusdam Officialibus Polonicis injuriose divexari, Capitaneo Generali, Joanni Ruebero, ejusque Vicesgerentibus et Successoribus demandavit, ut contra rapinas et violentias omnes laudatos Pastores protegeret.“ Sed literis hisce parum effecit Thurzo. Lubomirski enim non solum renunciavit, se Palatini Hungariae auctoritatem in Capitaneatu Scepusiensi non agnoscere, verum et consilium de occupandis in Tredecim Oppidis Templis Evangelicis, in animo magis adhuc firmavit. Propositum hoc peracturus, magno cum peditum, equitum et curruum comitatu d. 9. April. 1616 Váraliam venit, ibi initium machi-

nationum suarum facturus. Sed literis Regiis et intercessione quorundam suorum familiarium retractus, sapienti consilio, ab insano proposito destitit.

Feliciorem se in occupandis Tredecim Oppidanis Templis futurum ratus Capituli Scepusiensis Praepositus, *Ladislaus Hosszuthóty*, decennio post, anno 1626 die 13. Martii. Fraternitati per literas significavit, se Ecclesiarum Visitationem proxime suscepturum esse. Sed Fratres Recensionem hanc, literis ad Praepositum datis, hac potissimum de causa deprecabantur, quod lege Regni an. 1608 in Comitiis condita, Visitatio Ecclesiarum, Superioribus cujusvis Confessionis delata sit. Declaratione hac Praepositus a proposito dimotus fuit.

Tristiora fata tulit annus 1632 et insequentes, ob *fulmen Excommunicationis*, quo Viginti Quatuor Regalium Pastores icti fuerunt. Est autem mali hujus haec ratio. In Congregatione Filcaviae, die 13. Nov. 1630 instituta, Barbara de Grottendorf, Ludovici Szegedi, civis Váraliensis, uxor, questa est, se a marito suo, postquam ille ab annis consuetudinem suam vitasset, imo et adulterium perpetrasset, desertam esse. Quare rogavit, ut sibi divortium facere fas sit. Alma Fraternitas declaravit, prius quam divortii sententia pronunciari possit, profugum publicis literis in jus vocandum, eique ter quindecim dies pro redeundo concedendos esse. Sententia haec ad effectum fuit adducta. Etenim non tantum Szegedii nomen, ad valvas Templi Váraliensis erat affixum, sed is etiam quovis die Domini, per semestre, de suggestu sacro, terminato sacro sermone citabatur. Quia profugus non comparuit, Barbarae huic, a marito derelictae, alteri Viro, Joanni Krebell, aurifabro Váraliensi, nubendi venia data est. His auditis Praepositus Capituli Scepusiensis Hoszszuthóty, optimam occasionem nactus se ultione explendi, ob censum cathedraticum, mense Novembri exeunte, numerari solitum, nunc quidem mense Julio, ut poscebat, non re-

praesentatum (nicht baar bezahlt): ‚Pastorem Váraliensem, Joannem Pilemann, vetabat Joannem Krebell cum Barbara de Grottendorf solemni ritu in conjuges inaugurare. Pastor nuncio, qui Interdictum hocce pertulit, his verbis dimisso: „Was hat mir der Praepositus zu gebieten?“ conjugium sacro ritu firmavit. Praepositus ira accensus, auctoritate Archi-Episcopi Strigoniensis, Cardinalis Petri Pazmanni, Regni Hungariae Primatis, ea propter M. Petrum Zablerum Superintendentem Joannem Serpilium Seniorem, et ipsum Joannem Pilemannum, per Emericum Lossy, Strigoniensem Canonicum, Tyrnaviam semel atque iterum citavit, coram Consistorio Archi-Episcopali causam dicturos. In angustias hasce adductus Senior, adscito in consortionem Fraternitatis Oratore, Joanne Paludino, Pastore Olassensi, Capitulum Praepositumque rogavit, ut Fraternitatem Juribus et Libertatibus suis frui ultra permittant, neque eidem in judicandis hujus generis causis, amplius obices ponant. Enimvero Praepositus declaravit, se non prius, quam personae, matrimonii vinculo junctae, ab invicem diremtae fuerint, a proposito suo discessurum. Legati Fraternitatis monuerunt, nefas iis esse Fratribus non auditis in postulata Praepositi consentire; quare rogarunt, ut usque 17. Nov. 1632, quo tempore Fratres Congregationem celebraturi essent, exspectaret. Consensit primum Praepositus, sed morae impatiens jam triduo post, iterum Pastores in jus vocavit, postulans ut directe respondeant, aut Tyrnaviae sese sistere velint. In anxietate hacce, Fratres primum Sedem Nobilitatis, ut Praepositum pro Fraternitate deprecaretur, rogarunt. Sed cum Hoszszuthóty, legatis hujus quoque Sedis et reipublicae Leutschoviensis declarasset, si sibi quiescendum est, necessum esse, ut personae jugatae divellantur; cumque praeterea Fratres contumaciae accusasset, palamque vociferaretur Praedicantes Evangelicos dignos esse Excommunicatione, digniores privatione omnium honorum et bonorum, dignissimos qui

ad perpetuos carceres damnentur et praecipitentur: Fratres Magistratus Polonici tutelam implorabant. Quoniam vero hic, quod petebant, consecuti non sunt, iterum ad Sedem Nobilitatis et Senatum Leutschoviensem confugerunt, unde legati ad Praepositum denuo fuerunt exmissi, qui provocando ad leges Regni, anno 1608 in Comitiis in favorem Evangelicorum conditas, docerent Pastores in jus vocatos, Consistorio Archi-Episcopali non subesse. Verum Praepositus leges has, Clero contradicente latas respuens, mox per Cardinalem Pazmannum Viginti Quatuor Regalibus et in his praecipue Zablero, Serpilio et Pilemanno usu sacrorum interdixit, atque anathematis hujus formulam publice de suggestu sacro, templi Capitularis die 19., 22. et 27. Decembris, praelegi curavit. His factis fratres multum deliberabant, qua ratione segregatio haec ab usu sacrorum et consuetudine christianorum, innocua redderetur. Profugerunt iterum ad Principem Stanislaum Lubomirski, qui literis d. 7. Jan. 1633 „mirari se eorum imprudentiam ajebat, quod suos coram Praeposito comparere permitterent, cum non in Praepositi Capituli Scepusiensis, sed potius in Episcopi Cracoviensis potestate sint. Quare eos Praepositum nihil curare, nihilque cum eo habere negotii jussit, atque si et millies citarentur, comparere vetuit, simulque se eos, si amplius impeterentur, tuiturum promisit.“ Quoniam vero Lubomirski deprecatione sua nihil effecit: Fratres postremo Eperiessinum, quo Regni Hungariae Cancellarius aliique Cognitores et Quaesitores (Commissarii) Regii, publica negotia Regni tractaturi convenerant, et ubi ipse etiam Praepositus aderat, miserunt legatos, qui, coetu Ecclesiae exclusorum causa, intercederent. Legati hi effecerunt tandem, ut Cancellarius Praepositum placaret, promitteretque se ad Dominum Lossy Tyrnaviam scripturum, ut anathema hoc irritum redderetur. At Praepositus in Capitulum redux, nonnisi hac lege Pastores ab Excommunicationis poena absolutum

iri pronunciavit, si eum primum deprecati fuerint, deinde 120 Thaleros numeraverint. Egerunt quidem Pastorum causam denuo viri iidem, qui Eperiessini pro iis deprecabantur, sed conatu irrito. Praepositus enim a postulatis suis nulla ratione recedere volebat. Missi erant tandem Senatores Váralienses ad Praepositum, quibus illius cor emollire, cumque redditis illi die 22. Martii 1633 quinquaginta aureis, placare successit. Praeter sumtus hosce, legatis, qui Pastorum causam agebant, decem Thaleri, Comitatui vero Scepusiensi centum avenae, civitati denique Leutschoviensi quinquaginta hordei cubuli, dono erant dati. Summa haec partim ex collationibus Fratrum, partim ex cista Fraternitatis fuit numerata. Ad damni hujus partem resarciendam, Fratribus nonnullis instantibus, Pilemann, tanti mali auctor, anno 1634 d. 27. Junii, in Congregatione Compositivillana aureos octo tribuere debebat.

Sedata tempestate hac, iterum aliquot annorum decursu, pace usi sunt Tredecim Oppidani Evangelici, quia in Capitaneis suis, Stanislao Lubomirio (die 17. Jun. 1649 rebus humanis erepto), et Georgio Sebastiano Lubomirio (1649—1665 vel 1667) fulcra non infirma habebant et praesidia.

Ipse etiam Stanislaus Heraclius Lubomirski, qui Capitanei Tredecim Oppidani provinciam anno 1667 adiit, initio Tredecim Oppidanis Pastoribus favebat. Etenim Privilegio die 25. Oct. an. 1668 concesso, Jus Coetuum sacrorum Tredecim Oppidanorum, Pastores et Diaconos libere eligendi et vocandi confirmabat, deinde statuebat, ut qui se a Pastore laesos opinarentur, non prius ad Judicium arcense profugerent, quam reum coram Fratribus, in Congregatione praesentibus, detulissent; Pastores vero ipsos ab obligatione, per abusum invecta, auditores suos crebris conviviis excipiendi solvebat, et civibus interdicebat, ne decima non reddita, fruges in horrea sua conveherent. Jus Patronatus Privilegio hocce stabilitum, si

Lubomirski Tredecim Oppidis constanter integrum servare tuerique voluisset, sine dubio adhuc Nostrates Templa Parochialia, Parochias cunctaque ad illas pertinentia Beneficia, tenerent. Certe non sine ejus culpa accidit, quod illa amissa lugeamus.

Est autem *ratio Templorum, in Tredecim Oppidis, per Romano-Catholicos occupatorum* haec. Postquam Georgius Bársony, Capituli Scepusiensis Praepositus, Principem Lubomirski literis, tertiae Decembris an. 1670 incassum sollicitasset, ad Templa in Tredecim Oppidis Evangelicis adimenda: Michaëlem Poloniae Regem permovit, ut Patribus Piarum Scholarum, quae Podolini florent, aequabile in Templa et Beneficia Parochialia cum Evangelicis, in Oppidis hisce, jus concederet potestatemque daret, sacra ritu Romanae Ecclesiae in ipsis Templis, quae adhuc Dissidentes, quo nomine Evangelici in Polonia insigniebantur, tenebant, ad altaria faciundi, mortuos ad Templa vel in iisdem etiam sepeliendi, campanis, organo, suggestu sacro et clavibus Templi libere utendi, Missae sacrificium et pompam sacram (vulgo Processiones) instituendi, sacros ritus administrandi pro concione dicendi juventutemque erudiendi. Hoc Mandato die 24. Junii anno 1671 confecto, instructi Patres, mense Julio dimidiam partem Templorum, Redituum, Decimarumque et Sacella Olassii, Váralii, Neocomii, Michaëlisvillae, in Monte S. Georgii Libicae, Belae et in aliis locis sibi perpetuo jure possidenda assignari imperiose postulabant, eo provocantes, quod Rex, si oppidani praescripto ejus refragarentur, privatione Privilegiorum, Jurium, Libertatum, ademtione Templorum, Sacellorum, Parochiarum, Scholarum, Legationum, Redituum, irrogatione mulctae tredecim mille aureorum, exsilio Pastorum et amotione Magistratuum a muneribus minaretur. Evangelici expavescentes, Joannem Tworsianszky Vice-Capitaneum in consilium adhibebant, qui eis suasit, amicis modis transigerent negotium cum

Patribus; quam sententiam cum ipse quoque Princeps Lubomirius probaret, factum est, ut ejus interventu pacti commemoratos Patres inter et Tredecim Oppidanos Evangelicos iniretur, hisce sub conditionibus: ut Evangelici in nonnullis Oppidis, (Belae, Libicae, Igloviae, Váralli Templa Slavica, vel Sacella (Olassii) Patribus e Scholis Piis cederent, in reliquis vero Scholas, vel domos pro peragendis sacris adsignarent et quotannis in Stipendia Capellanorum Romano-Catholicorum, tercentos Florenos Polonicos numerarent, ceterum autem beneficia Stolaria et decimae exigendae Jus, Pastoribus Evangelicis salvum maneret.

Acquisitione hacce tenui parum contentus Bársony, quamvis nihil intentatum liquerit, ut Templa in Tredecim Oppidis in suam redigere potuisset potestatem: tamen cum studia sua, neque a Rege Poloniae, neque a Principe Lubomirski, ut optabat, secundari animadverteret, apud Leopoldum Imperatorem effecit: ut Tredecim Oppidorum Pastores, perduellionis rei, in diem quintam Martii an. 1674 Posonium, coram Judicio delegato extraordinario causam dicturi, jubente Szeleptsényo, Archi-Episcopo Strigoniensi, per Canonicum Capituli Scepusiensis, Franciscum Tarnoczyum et hominem Regium, Joannem Betlenfalvaym, seorsum „in persona" citarentur. Anxii denuo ad clementiam Capitanei sui confugerunt Tredecim Oppidani Pastores, qui eos in suam fidem recepit et ni poena vitae bonorumque publicationis affici vellent, Edicto 18. Febr. (die 6. Martii promulgato) anni 1674 coram non legitima Jurisdictione comparere vetuit. Si Princeps Pastoribus ultra adesse et opitulari voluisset, sententia Judicii Posoniensis, die 10. Martii lata, qua Pastores, qui sese non stiterunt, extorres esse jubebantur, iis nihil nocuisset. Enimvero Lubomirius fideles suos Evangelicos mox deseruit. Cum enim partim undique ab adversariis Nostratium urgeretur, partim aegre ferret, Judices Tredecim Op-

pidorum Mandato suo, diei 2. Septembris 1672, quo Pastores ex Hungaria proscriptos, qui ad Tredecim Oppida sese receperunt, intra duas hebdomades ab iis relegari praecepit, morem non gessisse; partim diffidentia Pastorum, res suas mobiles extra limites Capitaneatus clam evehentium irritaretur, neque per Joannem Tworsianski, Vice-Capitaneum, praecipuum Jurium et Libertatum Nostratibus in Tredecim Oppidis concessorum, dum viveret, vindicem, jam fatis functum, ab injuria iis inferenda prohiberetur: postremo in Judicium Compositum consensit, quod ex Caesareis et Polonicis Cognitoribus coalescere et Váralii considere, atque de crimine, cujus Tredecim Oppidorum Pastores insimulabantur, quaestionem habere deberet. Prius tamen, quam Judicium hocce iis fuisset indictum: Princeps Edicto suo d. 17. Martii 1674 Comiti et Oppidorum Judicibus seorsum mille aureorum poenam minabatur, si Pastores res suas mobiles evehere, vel mansiones mutare permiserint, usque dum de conjuratione, cujus accusabantur, quaestio instituta fuerit. Brevi post duos Polonicos Cognitores, Christophorum Suchodolski et Gabrielem Lazinski ad Tredecim Oppida variis cum Mandatis dimisit. Cognitores hi die 23. Martii, die Jovis antepaschali (Viridium die) Olassii, Pastore Klesch immerito vinculis detento, Templum per vim occuparunt, insequenti autem die omnes Parochias in Tredecim Oppidis, per Centum Sclopetarios (pedites Polonicos) obsidione clauserunt, atque indicta Pastoribus eorumque Diaconis custodia, integro octiduo Paschali obsessas tenuerunt, quo c[illegible]erent, ne Pastores vel res, vel personas suas, possent [illegible]vare.

Inclementia haec praecursor fuit acerbitatum, quae mox sequebantur. Etenim die 24. Aprilis an. 1674 literis ante commemoratorum Polonicorum Cognitorum, non modo Tredecim Oppidorum Pastores, cum Diaconis suis, sed et alii, ex Regno Hungariae jam in exsilium ejecti.

qui in Oppidis hisce perfugium invenerunt, jubebantur Váralii die 30. Aprilis in jure comparere, causam attentatae rebellionis, ni infamia adspergi, bonisque privari mallent, reddituri. Intervallo Commissarii Oppida peragrarunt, atque calices, vestes, cunctaque ornamenta ecclesiastica in Templis lustrarunt et notarunt. Coram *Judicio Váraliensi*, ad quod ex parte Caesaris David Bellevari, Comissarius Caesareus, Gabriel Bertóty Juratus Comitatus et Petrus Mráz Procurator; ex parte Polonica, praeter Suchodolskium legatum (Plenipotentiarium) Principis Lubomirski, et Laziuskium, Thomas Abrahamovicz (Abramovics) missi fuerunt, et cui Bársony quoque, accusator, testis et judex, nec non Joannes Ollmüczer, Tredecim Oppidorum Comes, occultus Pastorum et Sacrorum Evangelicorum, quae brevi post deseruit, hostis interfuit, quadraginta et unus Pastores et Diaconi sese stiterunt. Hic per Procuratorem Regium, primum nomina proferre jubebantur. His consignatis, per eundem, Petrum Mráz, provocantem ad interceptas literas Wittnyedyanas, quibus Ambrosius Keczer aulae Tökölyanae familiaris, sollicitatus ajebatur, ad districtum Libloviensem, rebellioni devinciendum, de conspiratione in Imperatorem et Regem Leopoldum appellabantur. Mag. Joannes Baier, Váralicnsium Pastor, in Oratorem delectus, prius quam accusationem refelleret, an praesens Judicium Judicii Posoniensis continuatio haberi debeat, vel ab eo diversum sit? rogabat. Mráz perturbatus confususque, quid responderet, ipse ignorabat. Sed Bársony Judicium Váraliense quopiam nexu Posoniensi junctum esse, inficiabatur. Ex sensentia hacce rei id commodi sibi accedere opinabantur, quod putarent per eam Proscriptionem Judicii Posoniensis irritam esse declaratam. Tum crimen, cujus arguebantur, a se amolituri, ad Deum, innocentiae testem, provocabant, et se de literis Wittnyedyanis, neque audivisse quidpiam, neque eas legisse, omninoque a rebus novis moliendis alienos fuisse, confirmabant; qua in

re eo magis fidem eis habitum iri confidebant, quod ipsis adversariis confitentibus, literae Wittnyedianae interceptae fuerint, igitur ab accusatis videri et legi nequiverint. Sed Judicium hacce reorum semet defendendi ratione rejecta, Pastores sibi de Procuratore artis perito, qui modo legibus regni praescripto, eorum causam susciperet defendendam, prospicere jusserunt. Quaesiti quidem fuerant causarum Patroni, sed partim quod — culpa potissimum Bársonyi, qui eorum nonnullos, ut Fabriczyum, Tökölyanum Causidicum negotium Pastorum suscipere vetuit — nulli inveniri potuerint; partim quod nonnulli Pastores minus consultum censuerint lite, cum Regis Principisque Causarum Patrono agere, decreverunt breviter scripto declarare, se teste deo insontes esse, integritatemque suam etiam jurejurando comprobare posse; atque insuper ad Principis tutelam et patrocinium appellare. Haec cum die secunda Maji legerentur, accusator Bársony exclamavit: „Diffidunt causae suae, peto Judicium." Tum accusationem, die abhinc tertio prolatam repetiit, scida quapiam protracta Pastoribus objiciens, quod auditores suos ad rebellionem contra Caesarem, publicis habitis sermonibus concitarint, pecuniam in stipendia seditiosorum collocandam a Paroecis exegerint, conventicula, in quibus de modo motuum consultarent, celebrarint. Has calumnias accusati refellebant eo, primum quod omnino nulli testes produci, nullaque argumenta, quibus crimen evinceretur adferri possint; deinde quod auditores suos ad societatem motuum frustra concitaturi fuissent, cum iis — quippe reipublicae Polonicae subjectis, sub cujus clientela adhuc tranquille Privilegiis aviticis usi fuissent, nullo rebellium patrocinio egentes — cum Caesare nihil sit negotii, tum quod Districtus Libloviensis non solum Tredecim Oppida contineat, sed et alias Civitates pagosque, in quibus Patres Piarum Scholarum et Plebani Catholici degunt, qui, si verum esset conspirationis figmentum, etiam

ad causam dicendam attrahi deberent; denique quod ipsa scida argumenta accusationis suppeditatura., eo reis patrocinetur, quod diserte haec contineat verba: „quid congregati Pastores locuti fuerint, nescio.“ In hasce angustias conjectus Causidicus Regius, nova accusationis argumenta hausit ex confessione, sub puritate conscientiae coram Capitulo, per aliquem facta, „vidisse eum duodecim Praedicantes, in rebellium castris.“ Incusati regesserunt, docendum esse pastores visos e Tredecim Oppidanorum numero fuisse et cum omnes praesentes sint, nominandos et monstrandos esse, qui rem cum adversariis habuerint. E contra se docere posse, contendebant, Sacrorum Ministri, duos Capituli Scepusiensis Canonicos, ad castra rebellium missos, ejurata fide, qua Caesari obstricti erant, eandem rebellibus, sacramento interposito, promisisse, nec tamen eos rebellionis crimine notari. Enimvero solida haec confutatio nondum Nostratium adversarios deterruit ab illis novis falsis criminationibus insectandis. Provocabant quippe ad Glycerii cujusdam testimonium, qui in Capitulo Scepusiensi fassus fuerit, vidisse se Kesmarkini in domo, Pastori Fitcensi propria, nonnullos Tredecim Oppidorum Pastores convenire, quos *praesupponat* contra Caesarem conspirasse. Ad quae Baier respondit, argumentationem hanc omni carere vi, quippe quod „per praesupponit“ nihil probetur.

Quamvis igitur crimen, in quod Pastores vocabantur, nullis firmari posset argumentis: tamen quia Pastorum interitus fuit condictus, die secunda Maji, criminis Majestatis et contumaciae, quippe quod, sibi male conscii, in hoc judicio causam suam agere renuerint, rei pronunciati, regno eique adnexis provinciis exsulare jubebantur. Cum vero Pastores se criminis laesae Majestatis convictos judicarentur, et hinc inique damnatos, ajerent: Procurator Regius, ira excandescens, non solum reposuit, se lege ad probandum non teneri, quia esset persona authentica, sed et Pastores vehementer increpabat, quod auderent arguere iniquitatis Caesarem, qui in Judicio hoc eos accusaret,

causamque cum sententia diceret, non secundum allegata et probata, sed secundum conscientiam. Imposito praetextu hocce nefario, condemnatis Pastoribus silentio, optio dabatur, vel regno quindecim dierum intervallo una cum familia rebusque excedendi, vel, si in Scepusio manere mallent, Stipulatione scripta (Reversalibus) pollicendi, quod munus Sacerdotale ejurare, Caesari fideles esse, et adversariorum molimina comperta, detegere velint. Quia vero conditionibus hisce subscribere recusarunt, lata in eos sententia stabiliebatur. Comes Tredecim Oppidorum Cognitores orabat, ut exsecutionem Judicii, usque dum caussa appellaretur ad Principem, differrent. Sed Suchodolski omnem, ad Judicem superioris ordinis provocationem denegans, Bársonyo potestatem fecit, e vestigio Templa in Tredecim Oppidis occupandi. Facultate hacce usus Praepositus, prius quam Princeps scripto sententiam suam aperiret, die tertia Maji Váraliense, insequentibus autem diebus reliqua Tredecim Oppidana Templa in suam redegit potestatem, ita ut usque 13. Maji omnia comprehenderet. Tredecim Oppidorum Incolae, summo terrore perculsi, ad Principem Lubomirski die 5. Maji 1674 legatos misere, qui flagitarent, ut Templa iis restituerentur, et liber sacrorum usus integer servaretur. Attamen vani fuerunt conatus. Princeps enim condidit decretum, quo Pastores Regno extorres esse jubebantur, bona vero eorum in publicum addici praecipiebantur. Legatis Tredecim Oppidanis viam ad principem ingressis, Pastores condemnati in Formula Apocharum (Reversalium) iis exhibita, si eam subnotare cogerentur, emolliendа, omnibusque duris loquendi formulis, in quas consentire nefas et impium foret, ex ea removendis, laborabant. Periodum enim eam, quae perduellionis confessionem continebat, ita immutarunt: „Intelligentes Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Intentionem, resolvimus Nos *accedente* Illustrissimi et Excellentissimi *Principis*, ac Domini nostri *con-*

sensu, ac honesta nostrorum Auditorum dimissione, *lic nullius contra nos praetensae complicitatis conscii simu* nec causae ac innocentiae nostrae diffidentes: tamen cl mentiae legitimi Magistratus nostri, Nos potius subjicer et gratiosae ejusdem dispositioni committere, quam in lite condescendere volentes" etc. Illum autem verborum a bitum, quo sese munere abdicabant, ita conceperu „Nullum ministerii nostri exercitium, clam vel publice, *ab que Indultu Magistratus* exercebimus" — Postquam leg Tredecim Oppidani a Principe, solatio vacui rediisse Pastores Apocham nonnullis in locis immutatam et su scriptam ad Bársonyum detulerunt. Sed hic veritus, Lubomirski se precibus flecti patiatur, ad eos sedib pristinis reddendos, inserta verba „absque Indultu Mag stratus" tam aegre tulit, ut confestim Principem provoca ret, ad procurandam sententiae, adversus Praedicantes, q contra promissum proprium Stipulationes scriptas subsigna recusarent, sententiae executionem. His intellectis Pastore nuncios ad principem misere, eum per literas die und cima Maji 1674 scriptas obsecraturos, ut duram sente tiam, in eos latam, abrogaret, eos fovere pergeret, sacr muneribus fungi et Beneficiis commodisque avitis fr permitteret. Sed nullum consecuti sunt emolument Etenim nona Junii die, misit Lubomirski Mandatum, qu nostri Proscriptorio-Confiscatorium vocant, quo Comiti e Judicibus, sub mille Florenorum mulcta, negotium detuli bonorum, quae Pastores tenerent, mobilium et immobili intra quatuordecim dies in publicum addicendorum, Pa storumque ob Apochas non subscriptas, in exsilium ej ciendorum. Provinciam hanc deprecabantur quidem Ma gistratus Oppidorum, libello supplici ad principem di 12. Junii an. 1674 dato, quod crudele putarent, ita i suos animarum curatores, quibus dum eos vocarent mune raque deferrent, patrocinium et defensionem quovis tem pore et occasione literis sigilloque coetus publico promi

serint, spreta religione (wider das Gewissen) saevire. Ipsi etiam Pastores, periculum propulsaturi, Abrahamum Eccardum, Pastorem Libicensem, et Joannem Ambrosi, Diaconum Belensem d. 12. Junii 1674 ad Principem miserunt, qui flagitarent: primum, ut durum publicationis Edictum tolleretur, cum partim ipsi essent innocentes, partim bona, quae possiderent, plerumque hereditate accepta, ad uxores et liberos pertinerent; deinde, ut si muneribus ante gestis, reddi amplius non possent, minimum veniam itinera in regno et extra regnum faciundi, quaestum exercendi et victum parandi haberent; denique si Princeps eos regno excedere mallet, id divendendis vel alio transferendis bonis sine Stipulationibus scriptis (Reversalibus) facere liceret. Sed omnia haec incassum fiebant. Etenim Suchodolski, Principis Rescripto non exspectato, Vice-Capitaneum Libloviensem permovit, ut Tredecim Oppidorum Pastores non modo proscriberet et infamia notaret, verum etiam Comitem atque Judices adigeret ad bona eorum, mobilia et immobilia, quatuordecim dierum spatio, sub poena mille Florenorum, publica auctoritate occupanda. Ita miseri Pastores, diebus 17. 18. 19. Junii bonis suis, quae partim ad Castrum Libloviense devecta, partim distracta fuerunt, exuti, obtentis a Lubomirskio Salvi Comeatus literis, die 10. Julii exsilium adire cogebantur. Summam eos hac in re accepisse injuriam, partim ex iis, quae supra observavimus, liquet; partim inde patet, quod Suchodolski diserte professus fuerit: „Comes vester est in causa, non curat vos (pastores) nec vestram religionem;“ partim ex verbis cognoscitur, quibus Cognitores, Pastores in exsilium relegatos, iis valedicentes dimiserunt: „Habemus condolentiam cum Vestris Dominationibus et fatemur eas esse innocentissimas, sed hoc tempore aliter fieri nequit;“ partim denique ex literis salvi comeatus, in hanc sententiam scriptis, planum et evidens est: „Notum facimus, quod Dominus N. N. in

Germaniam proficiscatur: Itaque obnixe rogamus, ut eundem, quocunque diverterit, uti hominem liberum et omni nota carentem, sine turbatione admittere velint etc.

In itinere, Principi Jazdoviae, prope Varsaviam commoranti, supplicarunt Pastores, ut ademta bona iis restitueret; quod ille se facturum promisit, si ei decem mille Florenos numeraverint. Conditio haecce illiberalis nonnullos ita exacerbavit, ut extemplo sese proriperent, et iter ad exteros prosequerentur, aliis facultatem in patriam redeundi, bonorum intra quatuor hebdomades distrahendorum, ergo tercentis, quadringentis, quingentis, sexcentis, imo et septingentenis Florenis, aerario Principis inferendis, redimentibus. Quia vero quatuor hebdomadum intervallo omnia venundari non poterant, et ideo Pastores longiori tempore in Oppidis versabantur: Bársony Comitem et Judices, literis diei 29. Decembris severe provocavit, ut intra octiduum Pastores regno migrare jubeant. Itaque omni indulgentia iis negata, nonnulli a patrio solo secesserunt, domibus in publicum addictis. Interim ne nunc quidem prorsus deerant, qui in Capitaneatus gremio commorarentur. Quare de iis ejiciendis identidem Mandata fuere vulgata. Huc pertinet decretum diei 12. Martii 1675, quo Petrus Karetti, Arcis Lubloviensis Capitaneus, jussu Principis, Comiti et Judicibus Tredecim Oppidorum demandavit, ut Praedicantes, (quo nomine Pastores Evangelici jam passim per ridiculum et contemtim compellabantur) noxios Catholicae fidei dimittant, et tridui spatio, sub poena vinculorum in Turri, arbitrio Principis irroganda, abigant. Huc spectat aliud Jussum, diei 29. Aprilis 1675, quo Capitaneus, Andreas Ludovicus Moschinski Comiti et Judicibus imperat, agerent, ut omnes Praedicantes, qui adhuc in Oppidis versarentur, bonis spatio trium vel quatuor hebdomadorum divenditis, cum uxoribus et liberis a Tredecim Oppidis recedant, neque amplius in iis commorari sustineant. Si vero qui die (vulgo termino)

hocce elapso, ultra manerent: tam hos, quam et illos, qui tales Praedicantes protegerent, bonorum publicatione mulctari jussit.

PERIODUS SECUNDA.

A Templis ademtis et Pastoribus exsilio adfectis, usque ad concessam Ministris Evangelicis Tredecim Oppida inhabitandi veniam; seu ab anno 1674 — 1707.

Pastoribus exsilio mulctatis, prius quam Catholici, Sacerdotes Parochias occuparent, Evangelici Rectores Scholarum, habebant potestatem in ereptis Templis canendo, et precibus fundendis, coetuum sacrorum pietatem juvare. Mox tamen decreto Gubernatoris Libloviensis, Andreae Ludovici Moschinski, diei 18. Decbr. 1674 poscebatur, ut precum, quas adhibebant formulis, angelicam quoque, quam vocant, beatae Virginis Mariae salutationem adderent; quod quia nonnulli — maxime Georgiomontanus, Matthaeivillanus et Filcaviensis — facere recusarunt: idem Gubernator, decreto suo d. 24. April. 1675 proposito, Ludimagistros dissidentes, ab Ecclesiis Tredecim Oppidorum relegari, Catholicos vero Scholarum praefectos ali, et horum disciplinae liberos tradi imperavit. Lugubris ab eo tempore fuit Ecclesiarum Evangelicarum, in Tredecim Oppidis, conditio. Etenim omnia tormina a Capitaneis Scepusii eorumque Vicariis adhibebantur, ad Evangelicos ad sacra Catholica amplectenda et sequenda perducendos; ut ex eorum decretis et edictis abunde patet. Nam ipse quidem Princeps Stanislaus Heraclius Lubomirski sanxit, primo: ut omnes Tredecim Oppidorum incolae, Religionem Catholicam pro vera habeant, et nuncio erroribus misso, sese ad Confessionem et Communionem praeparent, d. 4. Mart. 1675; deinde ut ad Officia Comitis, Judicum et majoris partis Magistratuum Oppidanorum Catholici legantur, moribus bonis, doctrina et lingua germanica praediti, d. 3. Decbr. 1675; porro, ut omnes Ec-

clesiam Romano-Catholicam pro vera, indubitata, solaque apostolica et universali agnoscant, et animos ad Communionem Confessionemque Paschalem tempestive disponant, d. 4. Mart. 1676; praeterea, ut Jurati, Tribunus Plebis totusque Magistratus Romano-Catholicus cooptetur, et populus tempestate festorum paschalium, salvificam fidem Catholicam amplectatur, d. 1. Oct. 1676; amplius, ne Dissidentes ullas inter se mutuas Congregationes Conventiculaque faciant, neve in praejudicium religionis orthodoxae, quidpiam attentent, aut suis persuasionibus terriculamentisve populum ab amplectenda fide catholica avocent, aut quomodolibet deterreant; Ecclesias (Templa) contra, ab haeretica labe purgatas, in dies adeant, ibique ritibus Catholicis diligenter intersint, d. 8. Jun. 1677; insuper, ut omnes Tredecim Oppidani, cum uxoribus, liberis et famulitio ritui Romano nomen dent, in ejusque sodalitio Confessione et Sacrae Coenae usu sese recipi curent, d. 20. Mart. 1678; denique, ut omnes utriusque sexus incolae, in Tredecim Oppidis manentes, abjecto errore imminentibus Resurrectionis Domini Festis, Confessionem peccatorum et Communionem peragant, d. 24. Febr. 1679. Omnia vero haec Mandata tanto severiora erant, quod his in violatores legum, poenae capitales, mulctae gravissimae mox ducentorum, mox mille, mox ter mille aureorum intra brevissimum tempus numerandorum, mox privatio testandi facultate hereditatemque adeundi, mox bonorum publicatio, mox ademtio jurium per Privilegia concessorum, mox abrogatio munerum, statuebantur.

Neque clementior domino suo fuit in Tredecim Oppidanos Evangelicos Vice-Capitaneus Libloviensis, *Andreas Ludovicus Moschinski*, qui decreto 11. Martii 1678, Dominica Palmarum omnes Tredecim Oppidanos professionem fidei Romano-Catholicae in Templis Romano-Catholicis facere jussit, obedientiam abjecturis poenam amissionis liberae Magistratuum electionis, detrusionis ex officii

et centum aureorum exsolutionis interminatus; alio autem decreto d. 4. April. 1678, ut Tredecim Oppidani cum uxoribus, liberis et famulitio non modo imminentibus Festis paschalibus, sed quovis die Domini sacris Catholicis intersint, imperavit; Judicibus vero, si decretum hocce non promulgarent, poena quinquaginta thalerorum minabatur.

Evenit quidem nonnunquam, ut decreta proponerentur, quae patrocinari Evangelicis videbantur; sed tempus posterum docuit, id generis Jussa, vafre et callide, consilio praecipitandi Evangelicos, fuisse condita. Patet id luculenter, si ejusdem Moschinskii decreta, diei 20. Febr. et 11. Martii 1678 invicem contenderimus. Priori quippe decreto laudatus Vice-Capitaneus, Evangelicos quoque officii Judicis, aliorumque munerum capaces declaravit, poenamque centum Imperialium Thalerorum in eos statuit, qui delatum munus recusarent; posteriori edicto praecepit, ut omnes, qui honoribus ornantur, Religionem Catholicam probent, et Dominica Palmarum professionem edant; quod qui facere detrectarent, amotione ab officiis et mille aureorum mulcta plectendi forent.

Illuxit tandem diu vexatis Evangelicis Tredecim Oppidanis ann. 1682 meliorum temporum spes. Etenim Joannes III. Poloniae Rex, Mandato d. 9. Sept. confecto, Tredecim Oppidanos provocabat, ut si quas querimonias haberent, ad eum confugerent. Ita quippe scripsit: „Quodsi vero quidpiam ratione religionis, fidei et ecclesiarum, Fidelitates Vestrae gravatas sese sentiunt: Nos deo volente, ea omnia domi, absque quavis externa inspectione, mediis paccatis, per Commissarios nostros, seu quovis alio modo, ad satisfactionem sufficientem, complanaturi et sopituri sumus.“ Interim blanda haecce Regis verba, Evangelicis Tredecim Oppidanis nullum attulerunt commodum. Cum enim gratia Regis animati, Templa sibi restitui peterent, Joannes d. 5. Maji 1683 rescripsit „se de restituendis in Scepusio Ecclesiis tum demum consilium initurum et ex

inflixisse: graviori adhuc offensione illos afficere religio nequaquam duxit. Quare decreto diei 15. Febr. 16 sacrorum usum abolevit, poenam ter mille aureorum, exsi et publicationis bonorum in eos statuit, qui auderent Pra dicantem, praetextu religionis exercitii ad domos suas i ducere; ea vero, quae sacrorum faciundorum causa acqu sita sunt, suggestum sacrum, calices, supellectilem, C tholicae Ecclesiae, sub eadem poena tradi jussit; Com denique imperavit, ut nisi tercentis aureis mulctari mall unius hebdomadis intervallo, Privilegium Lubomirskianu ad liberum sacrorum usum pertinens, ad Franciscum Ma kowski, Vice-Capitaneum Lubloviensem, reportaret. Ip Princeps aequior fuit Vicariis suis. Etenim Edicto s cundae Septembris an. 1691, in defectu Romano-Ca tholicorum idoneorum et aptorum, etiam Acatholicos, (i est Evangelicos Aug. Conf.) ad Magistratum admitti pe misit; altero autem decreto, diei 29. Julii 1694 eo pr vocans, quod Rex Hungariae Aug. et Helv. Confessio Addictis non tantum liberum sacrorum usum, verum eti in pluribus locis Templa et Parochias, vel pro exstruend iisdem, loca concesserit: Universalibus (edictis) suis di 29. Decbr. 1682 et 20. Maji 1685 confirmatis, in quo bet Tredecim Oppidorum domum privatam Evangelicis p peragendo per V. D. Ministros ipsorum libero religio exercitio, per Gubernatorem Franciscum Markowski d signari praecepit, eique officium injunxit, imperio s obnoxios Evangelicos, si ab aliquo impeterentur defe dendi, et in violatores hujus mandati, tanquam in viol tores publicae securitates animadvertendi. Declaravit pra terea, justum esse, ut Evangelici sepulturae beneficio, s hibito cantu campanisque potiantur, baptismi tamen copulae administrationem Parochis Romano-Catholic reservavit. Edictum hocce Principis perfecturus Ma kowski, decreto diei 16. Aug. 1694 Comiti praecepit, s quidem princeps Tredecim Oppidanis Scepusii Inco Aug. Conf. sacrorum jus concessit, Comes et Oppidor

Judices beneficii hujus usuram illis non solum tribuant, sed et domus privatas, in quolibet Oppido, pro eodem sacrorum usu designent, in locis tamen talibus, quae sint „sine praejudicio religionis Catholicae.“ Clausula haec fatalis, amplam vexandis Evangelicis dedit occasionem. Etenim in multis Oppidis loca abstrusa, incommoda, inter domos, stabula, horrea sita, vel ignominia quapiam et dedecore notata, nostratibus fuere assignata.

Vix autem hocce Principis Edictum vulgatum fuerat, jam Clerus Romano-Catholicus, omnia summa fecit, ut Evangelicos, beneficio, quo adfecti erant, privaret. Non enim suffecit Capitulo Scepusiensi — quod *Ladislaum Mattyassowszky* Praepositum habebat — ut die 10. Aug. 1694 publico scripto Oratoriorum aedificationi intercederet (protestaretur): ipsum quoque Hungariae Regem, Leopoldum I., concitavit, ut literis die 5. Sept. ejusdem anni ad Principem Lubomirski datis, hunc propterea ad negandum Evangelicis Tredecim Oppidanis sacrorum usum permoveret, quod liberum religionis exercitium in Regno Hungariae, ad nonnulla solum loca Articularia, qualia in Scepusio duo essent, Batisfalvae et Toporcini, restrictum haberetur. Praeterea, ut Evangelicos Tredecim Oppidanos Clerus extreme exosos redderet, octodecim querimoniarum puncta, adversus eos Principi exhibuit; quorum praecipua commemorare juvabit, ut inde parte ex una summa Cleri iniquitas, parte ex altera tristis Evangelicorum Tredecim Oppidanorum conditio elucescat. Accusabantur nimirum Evangelici, quod exstruxerint Oratoria, alto tecto, Templis Romano-Catholicis simillima, eaque scamnis, suggestis sacris, altari, choro, atrio instruxerint; quod obeant res divinas eadem hora, qua in Templis Romano-Catholicis sacra fiunt; quod ludribio habeant eos, qui Templa Romano-Catholica intrant; quod diebus Festis apertis officinis vendant carnes et alias res; quod non permittant Parochum Romano-Catholicum visitare aegros; quod Praedicantes futurum inter desponsatos

connubium pro suggestu sacro pronuncient; quod iidem orationes funebres ante domos lugubres dicant; quod proprium haereticum interteneant Ludimagistrum; quod munera sacra (offertoria) pro Praedicante larga conferant, ante Templi portam, Templa vero Romano-Catholica deserant; quod titulo donorum piorum (Offertoriorum) Parochis Romano-Catholicis dent plumbum, laminas, numos turcicos; quod ad instauranda Templa Romano-Catholica nihil conferre velint et consuetudinem Parochorum atque Vicariorum Romano-Catholicorum fugiant etc. etc. Quare mirum non est, quod Lubomirski legatis Tredecim Oppidanis Evangelicis liberam Pastoribus in Tredecim Oppidis mansionem, facultatem actus stolares peragendi et aegrotos adeundi, juventutem in Catechismo instituendi et rerum ante biennium ex Oratoriis ablatarum, restitutionem flagitantibus: beneficia haecce Rescripto 31. Martii 1695 prorsus negaverit, neque nisi unum hoc promiserit, acturum se, ut Sacerdotes Romano-Catholici, pro actibus stolaribus moderatum pretium accipiant. Ita quippe rescripsit Princeps: „Quo inperturbatam eorum Ministri habeant mansionem, ob summum Catholicae religionis praejudicium et ne in praedictis Oppidis seminaria dissensionum fiant: ut ab hac praetensione abstineant, iis serio injungimus, ita ut nullam fixam mansionem valeant quocunque tempore ibi praedicti Ministri habere“ etc.

Atrocior adhuc in Evangelicos Tredecim Oppidanos fuit furibundus Podolski, qui decreto suo 10. Septembris 1695 statuit: primo ne V. D. Ministri ad Tredecim Oppida, sub poena mille Florenorum admittantur; deinde ut exercitium religionis Lutheranorum non sit diurnum, ne Ecclesiae Parochiales populo defraudentur, sed nocturnum; post ut exercitium hocce primo diluculo finiatur, praeterea ne Lutheri sectatores ad privatas domos suggesta sacra, pulpita, choros, organa inducere, sub poena necessaria mille aureorum sibi sumant; insuper, ut qui a sacris

Romano-Catholicis absunt, puniantur, amplius ut, qui morbo correpti, Presbyterum Romano-Catholicum non arcessiverint, exheredatione et bonorum publicatione plectantur; denique, ut Apostatae, (id est homines, qui postquam a religione evangelica ad Romano-Catholicam descivissent, successu temporis ad priora sacra redierunt) ex oppidis, infamiae labe adspersi, pellantur.

Brevi post, anno videlicet 1698, *Gabriel Palvalfay*, Juratus Capituli Scepusiensis Notarius, nomine Capituli, Principem Lubomirium obtestabatur, ut liberum sacrorum jus Augustanae Confessioni Addictis concessum prorsus tolleret, vel si id facere cunctaretur, minimum Praedicantes vetaret, finibus demandati muneris excedere, atque in Oppidis noctu diuque versari. Sed humanus Princeps die 29. Nov. 1698 rescripsit: „liberum religionis exercitium, tanquam malum necessarium, tolerandum esse, neque convenire, ut populi, coacti ad fidem Romano-Catholicam accedant." Declaravit praeterea, se in causa religionis omnia violenta facta tanto magis improbare, „quod adsit Serenissimorum Regum, circa indemnitatem libertatis illorum per Privilegia concessio." Omnino autem, quo propius leto accessit Lubomirski, eo fortius impudentibus Cleri sollicitationibus restitit. Quum enim accepisset, Joannem Sigray Praepositum Scepusii et Episcopum Tinniensem consilium cepisse de Praedicantibus, si quod Tredecim Oppidorum ingredi vellent, ope militiae Caesareae, ex insidiis capiendis, literis ad Gubernatorem Libloviensem, d. 8. Sept. 1699 datis, ut contra protervitatem hancce solenniter intercederet (protestaretur) demandavit, inquiens: „In eo versatur honor meus, si spirituales exercent ejusmodi violentias, in bonis meis, sine justis rationibus et consensu meo." Et cum idem Episcopus non cessaret minas et caedem adversus Sectatores Lutheri in Tredecim Oppidis spirare, omnemque curam eo convertere, ut afflictos Evangelicos, omni prorsus sacrorum jure privaret: Lubomirski d. 13.

April. a. 1701 ad eundem Gubernatorem in hunc modum scripsit: „Reverendissimo Domino Episcopo placebit Dominatio Vestra bona modalitate insinuare, quod populus in Tredecim Oppidis existens, maxima ex parte sit professionis Augustanae, et habeat concessam libertatem religionis a regibus, nec possit privari, sine consensu reipublicae, ab usu exercitii sui, donec majori ex parte non convertatur ad fidem Ecclesiae Orthodoxae, nam alias esset injuria status." Postremum aequitatis suae monimentum edidit Princeps, vulgato per Andream Joannem Strachan, Tredecim Oppidorum Scepusiensium Vice-Capitaneum, d. 10. Maji 1701 decreto, quo horum Oppidorum Evangelicis Incolis liberum religionis exercitium et eorum Praedicantibus securam mansionem habitationemque largiebatur, ita tamen, „ut Parochis Romano-Catholicis obedientiam, honorem et reverentiam praestent."

Filius Stanislai Heraclii-Lubomirski, *Theodorus Constantinus*, a patris ingenio et indole longe erat alienus. Vix enim summa rerum potitus fuit, jam d. 16. Martii an. 1702, Sigrayo, infensissimo Evangelicorum hoste incitante, mandavit: „ne quispiam Tredecim Oppidanorum Augustanae Confessioni Adhaerentium ad se suasque domos, vel exercitia privata, ex alienis territoriis, ditionibus, oppidis, vel pagis, cujuscunque conditionis, vel status advenas admittere praesumat," poena centum aureorum et ademtionis Oratoriorum — quae Synagogas nominat — in legis hujus violatores statuta. Ferocius adhuc fuit edictum diei 7. Aprilis, an. 1702, cujus punctum primum Apostatas, nisi usque primam Maji ad pristinam fidem redierint, infames declarari et bonis mobilibus et immobilibus, in publicum addictis, exsilio adfici jubet, eandemque poenam iis etiam irrogat, qui hujus generis hominibus perfugium praeberent; punctum secundum Universalis Andreae Joannis Strachan, diei 10. Maji 1701 quo Pastoribus Evangelicis, libera in Tredecim Oppidis mansio et

habitatio concedebatur, Autographon, ad Regni Tribunal transmitti, ejus vero exemplum (Copiam) in quovis Tredecim Oppidorum, manu carnificis comburi decernit, statuitque ne quisquam Praedicantium Oppida inhabitare audeat, sub poena comprehensionis post elapsos, a promulgato decreto quindecim dies; punctum tertium serio praecipit, ne sub poena centum aureorum, in posterum officio Judicis quispiam Lutheranorum praeficiatur.

Longum autem foret omnia Principis edicta, Evangelicis adversa recensere: maxime tamen memorabilia silentio praeterire nequimus. Huc pertinet Jussum d. 29. Nov. an. 1702, quo Lubomirski mandat, ut omnes, utriusque sexus Tredecim Oppidorum Incolae, ad Templa Catholica non tantum diebus Domini, sed et omnibus Festis a Catholicis celebrari solitis comparcant, in iisque ab initio sacri, usque ejus finem commorentur; deinde, ut omnes filios filiasque octodecim annis inferiores, quovis die Domini paulo ante vesperas, ad Templa Romano-Catholica mittant, audiente Catechismi, per Parochos vel eorum Vicarios explicandi causa. Magis exitiosum adhuc fuit Capitanei Edictum, feria secunda ante Festum Assumtionis Mariae editum, quo Comiti et Judicibus officium comprehendendi Praedicantes, si in Tredecim Oppidis viderentur, serio injungitur; bona ejus, qui Praedicantem, sive invitatum, sive sponte venientem intertenerent, publicanda decernuntur; celebratio denique (zahlreiches Besuchen) Templi Romano-Catholici demandatur, centum Imperialium poena in eos, qui edicto refragarentur, ducentorum vero ducatorum in Comitem statuta, si decretum hocce ad effectum adducere moraretur. Ne vero quispiam contendere queat, dura haecce Mandata, omni caruisse noxia vi et efficacitate, quippe quod Magistratus Imperia haecce exsequuti non fuerint: ad Samuelis Platany, Pastoris Váraliensis, qui in Petrocz degebat, exemplum provocamus. Vir hic, quod festo Laurentii, absente socero, in ejusdem

domo Váralii noctem' egisset, captus et Liblovíam de
ctus, hic in carcerem fuit conditus. Elapso aliquot di
rum intervallo immanis in eum lata fuit sententia, ut
Tredecim Oppidis non proscriberetur solum, sed et flag
lis per carnificem casus, ejiceretur. Poenam hanc crud
lem miser vere, per carnificem Kesmarkiensem castigat
die 26. Augusti sulivit. — Acerbum quoque fuit Capita
Edictum, feria secunda ante Festum Sancti Bartholom
Apostoli anno 1703 propositum, quo Oppida Váraliu
Villa Latina, Neocomium et Villa Teutonicalis, singul
centum aureis, seorsum, mulctabantur, quod contra Pri
cipis Imperatum, Pastores alere fuerint ausa; quoque pr
terea domus privatae (Oratoria) proscribebantur (confisc
bantur) et liberum Augustanae religionis exercitium, i
Tredecim Oppidis, prorsus abrogabat.

Animadvertit tamen princeps mox, se severitate s
nihil, nisi summum disordinem, negotiorum publicor
perturbationem et paupertatem in Tredecim Oppidis p
movere. Quare decreto suo diei 5. Febr. 1704, Acat
licos quoque, in Judices eligi posse declarat, ita tam
ut Adsessorum seu Senatorum major pars, sit Roma
Catholica; alio vero Edicto nonae Junii, Drusbacini eod
anno 1704 proposito, domos privatas (Oratoria) publ
auctoritate occupatas, Evangelicis restitui jubet, permitti
liberum sacrorum usum, adhibitis V. D. Ministris, pri
tissime absolvendum, sine campanarum sonitu ac solem
tatibus ullis et ea lege, ut omnes Domini Festisque d
bus, Templum Romano-Catholicum frequentent et Sac
dotes Romano-Catholicos honore ac reverentia ante
Ministri autem contenti venia, sacrorum faciundorum c
sa, domus privatas (Oratoria) adeundi, aegros invisere
sacramenta administrare caveant. Frendebat quidem p
promulgatum die 19. Junii 1704 per Josephum Kar
Tredecim Oppidorum Scepusiensium Gubernatorem
Castri Libloviensis Commendantem hocce Edictum, Cle

Romano-Catholicus dentibus, jamque non solum Mandato ad effectum adducendo intercessit, sed et impetravit, ut Princeps edicto suo 28. Junii 1705, sacra diebus profestis sub amissione totius liberi religionis exercitii, vetaret: impedire tamen non poterat, quominus Lubomirski, majori adhuc favore Tredecim Oppidanos Evangelicos amplecteretur, tributa iis potestate Pastores, qui in Oppidis ipsis habitarent, alendi.

Periodus tertia.

A concessa Pastoribus, Tredecim Oppida inhabitandi venia, usque ad Oppida haec, Regno Hungariae restituta, seu ab anno 1707 *usque ad* 1772.

Injurias, quibus Theodorus Constantinus Lubomirius, fideles suos Tredecim Oppidanos Evangelicos identidem affecerat, expiavit tandem quadantenus idem Princeps facta iis *copia, Pastores, qui in Oppidis ipsis habitarent, sustinendi.* Concessit quippe Váraliensibus et Neovillanis d. 17. Dec.; Georgiomontanis, Filcaviensibus, Popradensibus, Michaëlis- et Matthaeivillanis d. 31. Decbris. a. 1706; Belensibus denique, Libicensibus, Menhardi-, Durandi- et Rusquinivillanis d. 3. Jan. 1707 Privilegia, quibus eorum Pastoribus, qui doctrinam christianam propagarent, diebus dominicis festivis et ferialibus cum populo orarent, — horis tamen sic institutis, ne divina in Ecclesia Parochiali Catholica turbentur, — liberam in Oppidis mansionem et aegrotos, corpore animoque, adeundi potestatem spondebat, ita tamen, ne Sacerdotes Romano-Catholici a morbo adfectis arceantur, neve Evangelici conciones, in Templo Romano-Catholicorum, negligant, aut eorum Pastores, actus Stolares baptismi et copulae, a solis Parochis Romano-Catholicis peragendos, sibi vindicent. Quod vero ad sepulturas attinet, has ope Sacerdotis Catholici, in coemeterio peragi jussit, ceterum arbitrio lugentium permisit,

an conciones funebrales a Sacerdotibus Catholicis, in eorum Templis, vel a suis Pastoribus in domubus privatis (Oratoriis) audire mallent. Eodem Edicto Princeps Nostrates, a mulctis Parochorum Catholicorum exemit. Ceterum quominus bonorum, quorum oblationem hocce Principis Edictum continebat, plena usura Nostratibus contingeret, Clerus Romano-Catholicus cavere scivit. Duo quippe momenta laudatum Edictum complectebatur, quibus commemoratus Clerus, in Nostratium perniciem abuti sueverat: declaratio scilicet principis, se pro turbulento rerum et statuum bellique tempore, Evangelicos Tredecim Oppidanos, beneficiis ad religionem exercendam pertinentibus ornare, deinde „nolle se, ut Privilegio hocce doctrinae aut Juribus Catholicae Ecclesiae quidpiam praejudicetur." Posteriori clausula nitens, quoticscunque aliquid religionis causa suscipiebant Nostrates, vociferabatur Clerus, eo suae Ecclesiae jura violari. Prius vero, hoc incommodi habebat, quod seriori potissimum tempore, ac nominatim Maria Theresia regnante, quotiescunque Nostrates, ad Edictum hocce provocantes, sibi sacrorum jus competere docuerunt, adversarii regererent, jus hocce turbulento rerum statu extortum fuisse, non vero sponte et libere collatum.

Obtentam Pastores in Oppidis alendi veniam, Tredecim Oppidani Evangelici, lucro certe adponebant. Sed cum civilia eorum Jura et Immunitates convellerentur violarenturque, atque onera, quibus ferendis non amplius pares sese senserunt, imponerentur, ad Regem Poloniae Augustum II. Jacobum Marci, Martinum Krausz et Joannem Jony, mense Januario 1711 legatos misere, confirmationem Privilegiorum avitorum petituros. Nunciis his inter alia negotium crediderunt supplicandi pro licentia Sacerdotes cooptandi, et muneribus praeficiendi. Sed quominus preces eorum, ad solium regium pertingerent, Lubomirski eo impedivit, quod Tredecim Oppidorum nuncios, die 2. Febr. per Capitaneum Gottlob, ad Rubrum

Claustrum comprehendi et Libloviae in vincula conjici, tumque die 22. Aprilis compedibus constringi curaverit, nec, quamvis Rex eos dimitti juberet, prius, quam die 22. Martii 1712 libertati restituerit.

Severitas haecce non cohibuit Tredecim Oppidanos Evangelicos, quin a principe nova favoris documenta expeterent. Rogarunt quippe Capitaneum, Vindobonae commorantem, ut eorum Pastoribus potestatem actus Stolares peragendi, commodisque cum iis conjunctis fruendi, concederet. Sed Princeps mense Julio, anni 1714 „Resolutionem finalem usque suum adventum ad Scepusium" distulit, certos tamen esse jussit Supplicantes fore „ut in omnibus justis, licitis et possibilibus, omnimodam apud eum semper inveniant facilitatem."

Iterarunt desideria haecce Tredecim Oppidani mox, tam apud Principem, quam et Regem Poloniae. Cum nimirum duo hac tempestate eos premerent mala, alterum, quod iis obligatio imponeretur, Ludimagistris de victu (Unterhalt) prospiciendi, quem, quamdiu Evangelici beneficia Parochialia tenebant, Pastores Evangelici, ex reditibus decimae illis suppeditabant, alterum quod Parochi Romano-Catholici, nimium pretium pro actibus stolaribus exigerent, primum ad Regem Poloniae, Augustum II. profugerunt, incommodis hisce obices poni submisse petentes. Rex Archi-Episcopum Strigoniensem, Christianum Augustum de Saxonia, Cardinalem, literis Varsaviae, die 26. Oct. 1714 datis adiit, quibus rogabat, ut Tredecim Oppidanos cives, in exercitio Jurium Ecclesiasticorum si quae ipsis legitime competerent, conservare, atque arbitrio et licentiae Parochorum Catholicorum, in Stola sumenda, modum ponere velit. Hoc animum Tredecim Oppidanis Evangelicis indedit, ipsum quoque Principem Lubomirski obsecrandi, ut Cardinalem permoveret, ad concedendam eorum Pastoribus potestatem, omnes ritus sacros administrandi, commodisque cum iis conjunctis, ad

normam viciuarum Regiarum Liberarumque Civitatum i
Regno Hungariae, fruendi, idque eo magis, quod ips
Rex Poloniae Joannes III. Rescripto suo, anno 1683 pro
posito, pollicitus fuerit, Evangelicos Tredecim Oppidano
ratione liberi religionis exercitii, haec consecuturos ea
commoda, quae Liberae Regiaeque Civitates in Reg
Hungariae, a suo Rege obtenturae essent. Qua in re
eum Principem vota eorum obsecundaturum intelligere
Oppidani Evangelici: Cardinali Archi-Episcopi Strigonien
questi sunt, quod ab ipsis omnis generis decimae posca
tur et tamen, neque ut olim usu veniebat, ex reditib
decimae, Ludimagistris stipendia dentur, neque juvent
rite instituendae invigiletur; praeterea, quod V. D. Mi
nistri, ab actibus stolaribus exercendis prohibeantur, e
civis a Plebanis, actus hosce peragentibus, nimio preti
graventur, et insuper Parochis decimas convehere cog
tur. Quare orarunt Cardinalem, ut ab hisce oneribus e
liberaret, et eorum Pastoribus potestatem faceret rit
stolares administrandi et reditus, inde provenientes, pe
cipiendi. Cardinalis, priusquam rem decideret, Gener
Vicario suo per Scepusium, Stephano Lowiczkovitz, lit
ris diei 18. Decembris 1714 negotium demandavit, a
ditis Tredecim Oppidorum nunciis, in causam diligente
inquirendi, et re accurate cognita, ad se cum opinion
referendi. Erant autem puncta, in quae investigari prae
cepit haec: Verumne sit, quod Plebano Catholici in Tre
decim Oppidis omnis generis frumenti decimas accipia
et cives Evangelicos, illas in horrea ipsorum invehe
adstringant? Certumne sit, Plebanorum officii esse, e
reditibus decimae, more antiquitus usitato, Scholarum m
deratoribus Catholicis dare Salaria? An Augustanae Co
fessioni Addicti, Praedicantes suos et sacrorum jus ant
et usque initium postremae rebellionis habuerint? per que
et quomodo ipsis concessum sit? an et quomodo usque
ad praefatum tempus in pacificio sacrorum usu fuerint?

an non recenter Praedicantes suos, tempestate tumultuum introduxerint? Careatne dubio, Oppidanos Augustanae Confessionis, causa Stolae a Plebanis Catholicis nimium aggravari? etc. Peracta d. 18. Febr. an. 1715 quaestione, Generalis Vicarius, Actorum Commentarios, adnexa sua opinione Archi-Episcopo submisit, hic vero Consistorio suo, Tyrnaviae considenti, rei arbitrium detulit. Consistorium hocce re pensitata, sententiam, Tredecim Oppidanis Augustanae Conf. Addictis Evangelicis, perniciosam et exitiabilem per Cardinalem ipsum Viennae die 9. Sept. 1716 probatam et confirmatam pronunciavit, cujus hoc fuit argumentum: primum a necessitate convehendi frugam decimas, Tredecim Oppidanos ideo solvi non posse, quod usus pro Parochorum commodis pugnaret; deinde cum Scholarum Rectores, Oppidorum Habitatoribus serviant, justum et aequum esse, ut ab Oppidis solvantur; postea quoniam liberum religionis Augustanae exercitium, per terram Scepusiacam ad duo loca Articularia restrictum est, facultas vero liberi hujus exercitii per Stanislaum Heraclium Lubomirski, omnibus Tredecim Oppidanis concessa, per Leopoldum I. Regem Hungariae literis ad Principem die 4. Sept. 1694 datis, abolita et irrita declarata, Universale autem Strachanianum manu carnificis combustum fuit: ideo liberum religionis exercitium, atque quod cum eo conjunctum est, actus stolares peragendi veniam, Evangelicis Tredecim Oppidanis nulla ratione competere; quare Caesarem exoratum iri, ut a Principe abolitionem omnis religionis Evangelicorum in Tredecim Oppidis exercitii impetraret; denique pretium pro actibus stolaribus jam finitum haberi, quod si Parochi Romano-Catholici excederent, cuique integrum esse, eos coram Generali Vicario accusare. Prius, quam sententia haec promulgaretur, Generalis Cap. Scepusiensis Vicarius, Stephanus Lowiczkovicz, nomine Archi-Episcopi Strigoniensis anno 1716 identidem Pastores Evangelicos, a sacris palam colendis, pro-

hibuit. Cum vero Capitulares Interdictum hocce, a Nostratibus sperni observarent, Lectori Capituli Scepusiensis Matthiae Winkler et Substituto Generali Vicario Matthiae Klár ad Principem Vienna reducem d. 4. Junii salutandum missis, mandarunt, orarent Lubomirskium, ut liberum Augustanae religionis exercitium in Tredecim Oppidis tolleret. Sed Princeps nunciis his, quos in Monte S. Georgii excessit, reposuit, „se Evangelicos commodis, a Rege Poloniae et patre suo eis tributis, privare nec posse, nec velle, neque mentem suam esse directam ad turbandos in religione fideles subditos.“ Cui cum Clerus regessisset, non fideles esse subditos, sed rebelles: Lubomirski impudicos criminatores confudit, inquiens: „Quicunque praesente hoste, pro Magistratu suo orat, non est rebellis. Tredecim Oppidani Evangelici praesentibus Saxonibus pro incolumitate mea orarunt. Ergo non sunt rebelles.“ Post promulgatam d. 22. Oct. 1716 Consistorii Tyrnaviensis sententiam, Canonicus Klár substitutus Generalis Vicarius, Gubernatorem Liblovieusem, Antonium Felicianum Koczanovits, sollicitabat, ut Evangelicos sacrorum usu in Tredecim Oppidis, gravi sub poena interdiceret. Sed hic quoque rescripsit: „Negotium religionis, in novissime imminentibus Comitiis regni Poloniae, articulariter concludendum esse; quod si factum fuerit, se non intermissurum debita complacere adsistentia.“ Cum praeterea ipse quoque Princeps, Vindobonae commorans, usque dum ad Scepusium rediret, religionis exercitium in pristino linqui praeceperit: hinc factum est, ut Dominica XX. post Trinitatis sacra per Tredecim Oppida ubique celebrarentur.

Ita cum propositum non assequeretur Clerus, denuo ad calumnias confugit, accusans Tredecim Oppidanos Evangelicos, quod extraneos in Oratoria immittant, dies festos profanent, conciones Romano-Catholicas negligant, Sacerdotes ad aegrotos recessere intermittant, sacra sua ultra,

quam fas est, protrahant. IIis motus Princeps d. 25. Junii 1717 sanxit, non solum ne Evangelici extraneos ad privatas domos admittant, sacra contra Romano-Catholica diligenter obeant, sed etiam ut violatores festorum serio puniantur, Catholici Sacerdotes ad aegrotos, mentis adhuc compotes, sub privatione Ecclesiasticae sepulturae advocentur, sacra Evangelica, ultra horam octavam matutinam non producantur. Reliqua vitae Th. Constantini Lubomirski pars, si Edicta diei 20. Jan. 1722 et diei 9. Jan. 1728 exceperis, nihil, quod ad Evangelicos Tredecim Oppidanos pertineret, memorabilis continet. Priori Sanctione Joannes Kalinowski, Capitaneatus Scepusiensis Gubernator, praecepit, ut Judices in Tredecim Oppidis iis exceptis, in quibus vel nulli, vel inutiles et rudes Catholici sunt, sacra Romana profiteantur. Posteriori Edicto princeps primum ob illibatam fidem et promtam ad quaevis Mandata obedientiam, Evangelicos Tredecim Oppidanos omnium munerum, Comitis quoque et Judicum capaces declarat, citra tamen neglectionem Catholicorum, rebus gerendis idoneorum; deinde serio demandat ut pro audiendis sermonibus sacris diebus Domini ad Templa Parochialia Catholica, sub poenis arbitrariis, nisi legitima causa excuset, compareant; tum liberos alteratio vel utroque parente Romano-Catholico natos, ad domos privatas (Oratoria) admitti vetat; denique praecipit, ut qui diversam in religione profitenda in formulam sequentes, matrimonium contrahunt, ante illius inaugurationem praesente Parocho stipulentur, eos liberos non in alia, quam in Romano-Catholica religione educaturos esse. Rescripti hujus pars posterior, tanto magis vulneravit Tredecim Oppidanos Evangelicos, quod vetaverit, ne apud Comitem Tredecim Oppidorum Conventicula et Congregationes instituant. Volebat quippe cavere, ne Evangelici deliberent de modo, rebus suis consulendi.

Ex his sat superque patet, conditionem Evangelicorum,

Tredecim Oppidanorum, Theodoro Constantino Lubomirski vivente, in universum miserandam certe fuisse. Ceterum in eo fortunati fuere Nostrates, imperio Principis obnoxii, quod quamvis hic multa, quae Evangelicis salva conscientia sequi nefas fuit, instituerit sciveritque, nunquam tamen, ut praecepta sua diligenter curentur, pertinaciter urserit.

Deterrimo loco positae erant res Evangelicorum Tredecim Oppidanorum, dum *Maria Josepha*, princeps Austriaca, Poloniae Regina, Capitaneatus Oppidorum Scepusiensium, exstincta stirpe Lubomirskiana, per Regem Poloniae ei collati, gubernacula anno 1745 capesseret. Etenim ad Magistratum, quamvis Oppida paucissimos alerent Catholicos, Evangelici aegerrime admittebantur, liberae Pastorum habitationi, Oratoriorum structurae et instaurationi impedimenta adferebantur, Pastoribus aegre decumbentibus, Candidatum, vel alium Sacrorum Antistitem, sacris faciundis admovere nefas erat; pastore morte exstincto, vel alio translato, non erat integrum sine redemtionis pretio quinquaginta usque centum aureorum, alium cooptare, aegrotorum visitatio et sacramentorum administratio difficultatibus exponebatur; Stola nimia ab actibus sacris poscebatur; non licebat publicos privatosque alere scholarum magistros, aut liberos ad Scholas extraneas mittere, sponsi sponsaeque, si vel hi parentes diversae confessionis habebant, vel ipsi non unam eandemque formulam sequebantur, matrimonii inauguratio, nisi sacra Romana amplecterentur negabatur, proles in mixtis matrimoniis nata, in religione Romano-Catholica educari jubebatur, jurisjurandi formula religioni Evangelicae adversa, ab Evangelicis quoque exigebatur. Sed juvabit sententiae nostrae fidem testimoniis historicis comprobare.

Maria Josepha, quae Dresdae potissimum et Varsaviae vivebat, *Andream de Moszczenne Moszczenski*, Capitaneum Brestensem, Cujavo etc. nec non Regiae Majestatis Camerarium, in Capitaneatus Scepusiensis Administratorem nominavit. Huic, ad Scepusium delato, Nostrates supplicarunt, ut liberum religionis exercitium, iis intactum integrumque linqueret. Enimvero Moszczenski Iglovia d. 25. Martii 1745 rescripsit, cum jus ad hocce exercitium, nullo probaverint Privilegio, se quidem omnem sacrorum usum in Tredecim Oppidis abrogare posse, nihilominus tamen se „opere conversionis de relicto“ nihil moraturum esse, Evangelicorum in Oppidis hisce, Jura ad religionem exercendam pertinentia, in pristino (statu quo) conservare, modo Evangelici Oppidorum horum habitatores, omnia Puncta, Canones, Clausulas in favorem Catholicorum in Privilegiis, Decretis, Declarationibus quibuscunque exstantis, observent. Evangelici Tredecim Oppidani Reginam clementiorem futuram rati, ad eam libello d. 21. April. 1745 confecto profugiunt, petuntque se solvi ab obligatione imposita, mittendi liberos in Templa Catholica, dum in his Scholae Catecheticae habentur, quippe hoc quod tantumdem esset, atque parvulos sacris Romanae Ecclesiae vi addicere velle; deinde cum in jurejurando dicendo adigantur ad formulam, religioni suae contrariam adhibendam, Pastorique ad aegros in articulo mortis constitutos aditus negetur atque Sacerdote adveniente parentes, liberi, propinqui, ipsi conjuges, qui nunquam sese derelicturos jurarunt, exesse jubeantur: orant abrogatis decretis Lubomirskianis et Administratoris Moszczenski, quae vim conscientiis inferunt, a necessitate illa liberentur. Ad libellum hunc, Regina nihil rescripsit; Rex vero literis ad Administratorem d. 6. Julii 1745 datis, Tredecim Oppidanis itidem aperiri jussit, se eos in usu libertatum et privilegiorum, eis pristinis temporibus concessorum, conservare velle. Inde judicare poterant Tredecim Oppidani Evangelici, quam parum adjumenti a

novo hocce dominio sperare possent. Nec alienum fui a vero judicium. Etenim neque Administratore, neque i Regina ipsa, quidpiam favoris impetrare poterant discu ciati Tredecim Oppidani Evangelici.

Nam Moszczenski quidem, concitatus per Clerum, que rimonias jactantem, quod Incolae Tredecim Oppidoru Augustanae Confessioni Addicti, multis in punctis fide sanctae Romano-Catholicae temerarie praejudicent: Edicto d. 17. Febr. an. 1747 mandavit, ut Acatholici omni puncta, omnes conditiones et clausulas quorumcunque Pri vilegiorum, Declarationum, Decretorum, pro parte religio nis sanctae Romano-Catholicae prolatorum, sacro sanct observent, alioqui se „contravenientes gravibus poeni exemplariter mulctatorum" minatur. Magis fatale adhu fuit ejusdem Administratoris Imperatum, d. 20. Jun. 174 editum, quo Moszczenski: insistendo decreto Theodo Lubomirski, die 25. Junii 1717 in Monte Sancti Georgi lato, Catholicos Sacerdotes ad aegros, priusquam d statu mentis dejicerentur, — alioquin sepultura ecclesia stica privandos, — advocari, atque veniente Sacerdote Catho lico, adstantes Acatholicos hypocausto excedere jubet, Prae dicantios vero post introductum Sacerdotem Catholicum am plius aegrotum et moribundum adire vetat; recedere no lentes consanguineos et necessarios, atque Praedicantiu contra agentem, trium dierum caceris poena et duoru Thalerorum mulcta, aerario arcis inferenda, territat; — omnes Acatholicos diebus Dominicis et Festis diligente conciones Catholicas adire, absentes vero notari et septe crucigerorum poena, Ecclesiae solvenda plecti praecipit — Dissidentes infantes suos, Scholis Catecheticis in Tem plis Catholicis interesse, qui vero non comparuerint, to ties, quoties delatos, septem crucigerorum, fisco sacr pendendorum mulcta, puniri imperat; Infantibus veniam Catechismum Augustanae Confessionis, ad Scholas Catho licas ferendi, negat, qui aliter facerent, his libros adim

permittit; — Scholas privatas Acatholicorum prorsus tollit „sub relegatione Rectoris et remissione ad arestum arcense;“ — Diebus Catholicorum festis, Evangelicos a laboribus, tam domi quam foris peragendis, abstinere, contumaces vero uno Imperiali, Ecclesiae solvendo, mulctari vult; — Matrimonia mixta contrahentes, Apocha cavere jubet, de prole, sacris Ecclesiae Romanae initianda, disponitque, ut parvuli jam septennes, coram Parocho Romano-Catholico fidei professionem edant; parentes praecepto huic morem non gerentes, non solum decem Imperialibus, arcis aerario numerandis mulctari, sed et tamdiu vinculis detineri ordinat, donec liberos statuerint; — Natos parentum, variam religionis formulam sequentium, ad Oratoria Aug. Conf. admitti interdicit, praedicantibus, qui parvulos tales non arcerent, poenam decem Thalerorum, arcis aerario solvendorum irrogat; — Oratoria extraneis aperiri vetat, non obedientibus sacris coetibus poenam quinquaginta Thalerorum Imperialium, arcis fisco tribuendorum, interminatur; — Parochis Tredecim Oppidanis Catholicis, auctoritatem tribuit Protocolla civica inspiciendi, Magistratus vero qui Acta denegarent, poena vinculorum, duabus hebdomadis duratura et decem Thalerorum Imperialium ad aerarium arcense solvendorum mulcta, subjicit.

Post promulgatum ferale hocce decretum, Tredecim Oppidani Evangelici libellum supplicem Moszczenskio d. 8. Julii 1747 porrexerunt, in quo fatentur, decretum Administratoris nonnullis in punctis Jussis Principis Lubomirski conforme esse, ceterum et hoc observant, ipsam Lubomirium nunquam severe Imperatorum suorum executionem ursisse sed quo oppida conservaret et augeret identidem sua decreta temperasse et restrinxisse. Quare consentiunt quidem in postulatum, ne Pastori integrum sit aegrotum prius adire, quam Sacerdos eum inviseret, sed se a Jussu, ut praesente Sacerdote omnes recedant liberari, Pastorique veniam tribui petunt, aegrotum, quem jam Sacerdos viderat, libere accedendi; — deinde erant, ut, quemadmodum

ante solemne fuit, sufficiat diebus Domini Templa Catholica celebrare, atque satis sit, si ex quavis domo unus fuerit praesens, cum et domus vacuae relinqui non possint, et si omnes confluerent, Templa tantam hominum copiam nequaquam capere possent, nemoque foret, qui domi parvulorum curam gereret; praeterea cum religionis Evangelicae placitis repugnet, ut proles Evangelica catechismum Catholicum audiat, in Schola suae fidei lineamentis ubi impediatur, Administratorem a postulato hocce recedere flagitant; — tum Scholas privatas, per principem Lubomirski admissas, ut retinere queant, supplicant; — postea Festa decretalia se obire velle promittunt; — amplius poenam non Praedicanti et coetui, sed illis dictari cupiunt, qui sive parentibus diversae religionis nati, sive alia de causa, ad Ecclesiam Romanam pertinentes, Oratoria Evangelica ingrediuntur. Quare iterum iterumque Administratorem precantur, ut in quo statu, provinciam, quam administrat, capessens, eos reperit, in eo illos eo certius conservet, quod ipsa Decreto d. 25. Martii 1745 edicto declaraverit „Evangelicos religioni Catholicae non violentis remediis devinci debere, sed opus hoc gratiae divinae linquendum esse.“ Rogant proinde Moszczenskium, ut decretum immutet et rescribat; si vero precibus his accedere nollet, obsecrant, ut re interim in suspenso relicta, liceat illis, sine offensae nota, medelam apud Reginam, Dresdae, per nuncios quaerere. Cum precibus his Tredecim Oppidani apud Administratorem nihil effecissent, d. 24. Julii Igloviae conveniunt, Dresdamque Josephum Sirmiensem et Jo. M. Glaczinger, nuncios mittere decernunt, non modo abrogationem decreti Moszczenskiani petituros, sed etiam ampliores libertates in rebus ad sacrorum usum pertinentibus impetraturos. Legati hi precibus obtinere jubebantur: ut sacrorum jus in Tredecim Oppidis, minimum ea sit fortuna, qua Lubomirskio vivente fuerat; — ut Pastore mortuo vel alio vocato, liceat sine

litro et quin necessum sit ad Administratorem profugere, alium vocare; ne Oratoriis Parochiisque accessitate poscente instaurandis vel novis struendis obices ponantur; ne sit fas Evangelicos muneribus publicis habiles, ab iis gerendis arcere, vel Romano-Catholicis postponere; — ne ingeniosi parvuli, olim civitati, administrandis muneribus publicis utiles futuri, a Scholis, extra oppidorum gremium adeundis, arceantur, reliqui autem in Oppidis ipsis, per publicos et privatos Praeceptores, nostrae religionis instituantur, sublata necessitate Scholas Catholicas frequentandi; — ne Nostrates cogantur, ad jurisjurandi formulam, religioni Evangelicae adversam adhibendam; — ut arcessito jam Sacerdote Catholico, postea Pastor aegrotum libere accedere, eique usque horam supremam adesse possit; ut Pastore aegrotante salvum sit ei alterum, sive ex numero Tredecim Oppidanorum Pastorum, sive ex ordine Ministerii Candidatorum surrogare; — ut Parochi prohibeantur a Stola nimia, inprimis a copulis peregrinorum et Pastorum Evangelicorum exigenda, neque Evangelici mulctis Parochorum sint obnoxii; — ut sufficiat diebus domini et Festis Templa intrare, ita tamen, ne omnia familiae membra, domos derelinquere jubeantur; ne liberi cogantur catechismi audiendi gratia, in Templis Romano-Catholicis comparere; — ut decreta Lubomirskiana atque Administratoris Moszczenski, nobis detrimentosa, conscientiae instinctum violantia et Tredecim Oppidis exitio minantia, abrogentur; — ne Judices cogantur Protocolla oppidorum, ad libidinem sacerdotibus aperire. — Legati, quae in Mandatis acceperunt exsecuti, die 23. Aug. 1747 domum rediere, postquam confidere fuissent jussi, Judicium extraordinarium (Commissionem) ad Scepusium mittendum, omnibus justis legitimisque Evangelicorum Tredecim Oppidanorum petitis, satisfacturum esse. — Hac de re Tredecim Oppidani Moszczenskium per literas d. 25. Sept. edocuerunt, simulque rogarunt, ut usque dum

Judicium hoc constitutum fuerit, eos in pristino conservaret. Cognitores, quorum mittendorum Nostratibus spes fuit facta, Paulus Benoë, Instigator Regni, et Carolus Franciscus Sala de Grossa, Consiliarius Regius, simul Igloviam venissent: Tredecim Oppidani eis, die 31. Oct. 1747 tradiderunt libellum supplicem, quo singulatim argumentum Rescripti Administratorialis d. 20. Junii 1747 recensent, atque quantopere quodvis punctum, conscientiae instinctum violet, docent, rationes ob quas se gravatos sentiunt, adferunt, postremo se cura et metu relevari rogant. Praeterea contendunt ab iis posci, quae praestari nequeunt; Jussa Lubomirskiana nunquam fuisse observata praetendunt; poenas decreto Administratoris irrogatas, aerario eo summum detrimentum illaturas confirmant, quod illis stantibus necessario cives ad incitas redigi debeant. Quare si novi favores iis concedi nequirent, minimum eo loco linqui orant, quo fuerunt Lubomirskio, ad oppidorum clavum sedente. Coaluerunt autem in componendo libello hocce et sacri et civilis ordinis viri. Pastores proponebant: primum morem invaluisse, ut ab iis sacrorum Ministris, qui aliorsum vocantur, quaesito colore tutelae et clientelae qua utebantur, nec minus a coetibus pro obtinenda potestate, in discedentis locum alium vocandi, certae numorum aureorum summa extorqueretur; deinde non esse liberum, ex uno Tredecim Oppidorum ad aliud, legitima licet vocatione oblata, abire; post Pastores et Paroecos respectu Stolae vehementer aggravari; amplius, Pastoribus, si in morbum cadunt, necessitatem imponi Sacerdotes Catholicos arcessendi; praeterea matrimonium ineuntibus Jusjurandum decretale, quod vocant, in regno Hungariae usitatum, obtrudi; denique nonnullos Pastores a Judicibus Romano-Catholicis in percipiendis salariis, quae tributo nihil derogant, turbari. His igitur malis, ut occurratur, submisse orarunt. Paroeci autem conquerebantur: primum, quod contra omnes leges naturae

et humanitatis, moribundus Acatholicus jubeatur deseri, non solum a Pastore suo, sed etiam a suis propinquis et domesticis, quamprimum Parochus Romano-Catholicus ad eum fuerit adductus; deinde quod Acatholici sub comminatione mulctae, jubeantur Templa Catholica, propriis aedificiis periculo expilationis aut incendii expositis, adire; tum quod contra conscientiae instinctum cogantur natos suos religioni Catholicae directe dicare, eo quod poscatur, ut hi scholis catecheticis in Templis Catholicis vacent, cum tamen antiqua decreta Catechismum Catholicum nunquam praescripserint; insuper quod praedicetur impunes non mansuros, qui vel extraneos, vel liberos e matrimonio mixto ortos, ab ingressu oratoriorum arcere neglexerint, cum tamen eorum introitum impedire vix ac ne vix quidem in hominum situm sit potestate; denique quod contra omnem usum jubeantur Actorum Commentarios publicos (Protocolla Oppidana) Parochis Romano-Catholicis aperire, quod institutum non sopiendis, sed excitandis et augendis litibus, ansam praebeat. His querelis subjunxerunt petita, primo, ut integrum sit coetibus sacris eligere et vocare Pastorem; deinde ut Pastore morbido liceat in ejus locum aliquamdiu substituere alium; tum, ut sit potestas Oratoria et domicilia Pastorum reparandi, aut in vicem ruinosorum nova, etiam ex saxo exstruendi; praeterea ut ab obligatione jurandi secundum formulam, eorum religioni contrariam, solvantur; denique ut promiscue cum Romano-Catholicis muneribus Oppidanis admoveantur. Has Pastorum Paroecorumque queromonias atque optata, Cognitores ante laudati ad Reginam Dresdam retulerunt, quae Rescripto secundae Februarii anno 1748, auctore Hermanno Jesuita, Reginae a Confessionibus composito, aperte declarat: „nolle se prioribus (Lubomirskianis et Moszczenskianis) decretis ullo in puncto derogare, multo minus aliquid concedere, quod religioni Romano-Catholicae, Juribus Regni aut Statutis dioecesanis praejudicare posset; praesertim cum Acatholici

in Tredecim Oppidis nullo decreto Regio, aut Reipublica consensu muniti essent, sed privata solum dissimulatione tolerati. Quare querelis nullum fere posuit modum; hac enim rescripsit: „necessaria ministeria domesticorum, imo et salutationis officia amicorum, non prohiberi quamdiu Parochum Romano-Catholicum ad aegrum arcessitum nulla afficiant injuria, nec aegrum impediant, „quominus ea libertate conscientiae, quam ipsi Acatholici cuilibet relinquendam esse clamant, de sua anima disponere possit": Si proinde moribundus ad gremium Ecclesiae Catholicae redire velit, Praedicantem Lutheranum adventu ad eum rite arceri; — cum ipsi Catholici ad audiendam concionem lege ecclesiastica obstricti, propterea non jubeantur aedes suas incursioni furum, aliisque periculis exponere, etiam non requiri ab Acatholicis, ut domum ab omni custode vacuam relinquant, id quod in ipso decreto verbis „exceptis legitimis impedimentis" satis indicatum habeatur; — quod ad Catechismum attinet, cum Sacerdotes Catholici, nunquam alium, quam Romano-Catholicum Catechismum explicaverint, inde consequi, hunc, et non alium decretis Lubomirskianis innui, usum contrarium non abrogationem legis, sed civium, praeceptis non parentium improbitatem probare; scrupulum hunc parvulos eo, quod jubeantur scholis Catecheticis in Templis Catholicis vacare, religioni Catholicae sacrificari et quasi immolari, non bene convenire cum sententia Evangelicorum, qua cuilibet libertatem conscientiae relinqui debere contendunt: praesentia haecce juventutis in catechesibus Catholicis, non conversionis lenocinium intendi, sed solum id peti, ut praejudicatis opinionibus, quibus contra doctrinam Catholicorum imbui solent, liberentur; — mentem decreti non esse, punire fortuitum ingressam unius alteriusve hospitis, ex curiositate, aut alia de causa, Oratoria Evangelicorum intrantis, sed Imperati consilium solum esse impedire, ne homines ad oratoria, velut ad publicas Ecclesias promiscue con-

nt. Non posci, ut Protocolla Civitatum cuivis curioso
loratori ad aedes privatas mittantur, sed id nonnisi
i, ut vel in Curia oppidi, praesentibus Cognitoribus
nmissariis), vel in arce Libloviensi, sub oculis Admi-
atoris, vel in Capitulo Scepusiensi, coram praefectis
esiasticis, eo maxime tempore aperiantur, quando ju-
ı dubium e Protocollis solvendum nascitur. — Haec
ine querimoniarum rescripsit Regina. Quod vero ad
ta attinet, reposuit: primum cum neque Romano-
ıolici habeant facultatem, Parochum pro lubitu eligendi,
: tanto minus Acatholicis concedi posse; deinde Prae-
ıs habitare debere in domibus vel conductis, vel etiam
ıriis, quas tamen nefas sit, ultra id, quod simplex ne-
itas exigit instaurare; postremo quoad admittendum
:grinum, domestico Pastore aegrotante, nec non Jurisju-
li formulam, cum Parochis oppidorum, Evangelicos
sigere jussit. Pro coronide declaravit regina, se
emadmodum Augustanae Confessioni Addictos, quam-
officium fidelium subditorum praestiterint, neque ex-
ere, neque injustis vexationibus opprimere, sed potius,
ndiu jus fasque permiserit, clementiae et praesidii sui
i documenta illis aeque, ac aliis subditis praestare
tet: ita vicissim serio admonere, ut se huic ejus de-
o diligenter accommodent, Catholicis amice convivant
uloque praecaveant, ne Reginam in posterum querelis
ıietent." — Dura coacti necessitate, acquievissent in
olutione hacce Reginae, Tredecim Oppidani, si unum
ce punctum ex eadem abfuisset, quo jubebantur pro-
suam in catechismo Catholico erudiri curare. Hoc
n, quamdiu Augustanam religionem profitebantur, ma-
sto, salva conscientia admittere non poterant. Enim-
ı, ut rursum ad thronum gratiae profugerent, Clerus
adegit. Hic namque pergebat pellere vi ex hypo-
ıto aegrotorum, omnes, qui aderant. Deinde urgebat
:sentiam juventutis in catecheticis Scholis. Accessit

Parochum Menhardensem, Menhardivillanis Evangelicis niam, Pastori aegrotanti alium substituendi, negasse. vero mortuo Administratorem Moszczenski non s Oratorium Menhardivillarum obsignari, hospitium Pastoris et Fundos occupari jussisse, sed et iisdem o danis Evangelicis veniam alium cooptandi sacrorum M strum negasse. Insuper quamvis Regina permisit, ut Past suas vel conductas domos inhabitarent: tamen impetrari poterat, ut Váralienses et Belenses licentiam obtinerent, do Parochiales, jam propemodum paratas, Pastoribus inhabi das tradendi. Quare Tredecim Oppidani Evangelici Reg supplicarunt, ut mala haecce gratiose removeret, Past bus Belensi et Váraliensi veniam concederet in do eorum habitationi destinatas, immigrandi, morbido Pa alium substituere permitteret, a sacramenti formula, scientiis adversa, auctoritate regia eos relevaret, Men hardivillanis Pastorem vocandi potestatem tribueret, generatim cuilibet coetui jus daret, mortuo Pastore al muneri praeficiendi atque in domum, quam antecessor inh tabat inducendi. Popradensibus copiam faceret, aut Pasto qui, quod citatus ad arcem non comparuerit, part muneris fungi, vetabatur, loco, quem ante tenebat ad vendi; aut alium deligendi, denique quo nimiis sumt parceretur, Administratorem auctoritate instrueret, co venia ornandi, Pastori mortuo alium sufficiendi, quin D dam hac de causa profugere necessum sit. — Cum lib hocce supplici Igloviae d. 17. Julii 1748 composito m runt Tredecim Oppidani Evangelici Varsaviam duos le tos, Danielem Piringer et Joannem Tersztyanszky, quos eo elaborare jusserunt, quo Reginam permoverent: ut tet eos ex cubiculo morbo adfectorum expelli, qui qu pacificique sunt; ut liberet parvulos officio obeundi Sc las catecheticas; ut tribuat Administratori potestatem c sentiendi in vocandum novum pastorem sede vacante; rescribat Edictum, quod Parochis Catholicis potestat

largitur concedendi veniam, pastori aegro alium substituendi, quia Parochi, ne quopiam favore Nostrates ornent, jus hocce a se declinant atque Supplicantes — ut Menhardivillae factum — ad Episcopum relegant; ut concedat Belensibus et Váraliensibus veniam, domus, Pastoribus habitationem praebituras, in struendo, perficiendi easque Pastoribus adsignandi; ut Nostrates obligatione solvat, in dicendo jurejurando utendi formula, quam decretalem vocant; ut Scholarum, in quibus nonnisi elementa doctrinarum resque summopere necessariae tradantur, Nostratibus jus concedat, ut Menhardivillanis Oratorium restitui jubeat iisque copiam faciat Ministrum vocandi; ut Popradenses permissu beet, vel Pastori Augustino Ab. Hortis munia sacri muneris deferendi, vel eo dimisso, alium rebus curandis praeponendi. — Cum Regina diu nihil responderet, Tredecim Oppidani preces suas literis 20. Oct. 1749 Iglovia ad Reginam missis iterarunt. Sed in vanum. Legati enim domum comeare atque reditum Administratoris ad Scepusium, praestolari jubebantur. Quoniam vero negotium semper adhuc procrastinari observarunt Nostrates, Moszczenskium supplicibus literis, Igloviae die 4. Aug. 1750 datis, orarunt, ut causam eorum promoveret et reginae commendaret. Enimvero neque in Moszczenskio quidpiam repererunt praesidii. Non enim iis contigit votorum damnati.

Duorum adhuc pro coronide, ex hac periodo decretorum, facienda nobis est mentio: alterius diei secundae Julii 1752 quod Apostatas ex Tredecim Oppidis eliminari et liberos in matrimoniis mixtis susceptos, quotiescunque Parochi postulaverint, per vim etiam sisti jubet, in religione Catholica, sola salvifica, instituendos; alterius diei 30. Oct. 1753, quod omnia Evangelicis exitiosa, Capitaneorum Scepusiensium et Reginae decreta, in causa religionis vulgata, confirmat, atque Comitem et Judices officio obligat, eorum observationi invigilandi, maxime vero Apo-

statas, decreto Lubomirskiano diei 7. Aprilis an. 1722 convenienter proscribendi. Quare hisce aliisque decretis sese accommodaturus Moszczenski, Alexandro Márjay, Praeposito Capituli illa per Evangelicos violari querenti, in gratiam, Edicto quartae Febr. 1755 sanxit: ut Apostatarum formadium, qui jam in sancta religione Catholica eruditi et per usum sacramentorum Ecclesiae Romanae initiati, ad haeresim desciverunt, bona publicentur ipsique nisi usque paschatos dies redierint, ex Tredecim Oppidis ejiciantur; — proles ex mixtis matrimoniis a die 12. Febr. 1745 nata, non in alia, quam Romano-Catholica religione educetur, parentes liberos placitis Ecclesiae Romanae imbuendos, ad loca, vel homines a sacris Catholicis alienos mittentes, ab Episcopo delati ad arcis Liblovienses carceres conjiciantur, neque prius dimittantur quam prolem, periculo expositam, restituerint atque mulctae titulo centum Thaleros solverint, liberi, si sacra Romana amplecti noluerint, hereditate et habitatione in Tredecim Oppidis excludantur; — mixtae religionis hominibus matrimonia nullo pacto admittantur; qui invito Parocho, cui obnoxii sunt, sese in alienis locis in conjuges inaugurari curant, vel spatio unius anni in carcere arcis Lubloviensis culpam expient, vel quinquaginta Thalerorum mulctam solvant, qui posthac in simili noxa comprehensi fuerint, duplo mulctentur; — Coetus Evangelici Monte-Georgensis, Popradensis, Matthaeivillanus, quod Oratoria contra fas dilatarunt et ampliarunt, atque ab opere hoc, ne Episcopo quidem intercedente destiterunt, seorsum ad aerarium arcense, duorum mensium intervallo, centum aureos boni ponderis, igitur omnes simul, tercentos mulctae loco numerent; deinceps si pari ratione deliquerint, poena demolitionis Oratoriorum plectantur. Eodem Rescripto Administrator omnia priorum temporum decreta Regiae, Catholicae religioni faventia, confirmat et ut ad effectum adducantur, imperat.

Regina Maria Josepha, quae inter alia consilium
e Pastoribus Evangelicis funeribus delendis, tum
alios vocandi coetibus neganda — prout id Men-
t Rusquinivillae fecerat; — si inquam Regina
17. Nov. 1757 mortua, diutius vixisset, Evan-
Tredecim Oppidis vix amplius sese conservare
t.

---

ita excedente Maria Josepha, quae Capitaneatui
Oppidorum Scepusiensium, ab anno 1745 usque
m imperio praefuit, *Henricus Comes a Brühl,*
mi Poloniarum Regis et Saxoniae Electoris Pri-
linister, anno 1757 die 24. Decembris Capitaneus
tus est. Vix autem regimen adiit Brühl, jam
n Oppidani Evangelici ad ejus clementiam confu-
miserabilem, luctuosamque suam sortem diligenter
tes, atque se ab interitu servari flagitantes. Ape-
quippe Comiti, dum Regina Maria Josepha,
Lubomirios severitate longe superans, ad Trede-
idorum clavum sederet, Ministris Evangelicis non
accedere aegrotum, quem jam Sacerdos Catholicus
hoc vero adveniente omnes, qui praesto erant re-
uventam ad vacandum scholis catecheticis in Tem-
holicis compulsam, Scholas Evangelicas abrogatas,
n placitis doctrinae Evangelicae adversam, jure-
adstringendis decantatam, Nostrates omnes ad
tholica celebranda adactos, peregrinos prout et
in matrimoniis mixtis susceptos, Oratoriorum in-
rohibitos, Actorum publicorum Commentarios Op-
Sacerdotibus Catholicis patefactos, denique in le-
latores tantas mulctas fuisse statutas, ut si omnes
nes valuissent, Tredecim Oppidani Evangelici ne-
ad incitas redigi, bonisque everti debuissent.
tem ita enarrarunt Nostrates, ut Brühlio persua-

derent, quanta ex intemperie hacce in civitatem et salutem publicam noxa redundaverit, quantumque flori oppidorum fuerit detractum. His proinde malis se liberari, atque — non quidem beneficiis, dominanti religioni injuriam inferentibus, sed — minimum illis commodis, quibus Evangelici in Polonia fruerentur ornari, jureque sacrorum libere exercendorum, beari supplicant.

Liberalis Brühl ultro promisit, se adflictorum causas, per Quaesitores (Commissarios) ad Scepusium mittendos cogniturum, atque eorum incommodis mederi et necessitatibus subvenire properaturum. Promissum hoc persoluturus Comes, *Comitem Gabrielem Junosa Podolii*, rerum gerendarum auctoritate instructum, ad Scepusium amandavit. Huic Cognitori, Tredecim Oppidani Evangelici ineunte anno 1758 libellum supplicem reddiderunt, querimonias precesque continentem. Querimoniarum haec fuit ratio. Parvuli, quibus ante liberum erat Catechismos Lutheri aliosque libros Evangelicos in Scholas Catholicas, in quibus erudiebantur, adferre, eorum usu prohibiti, jubentur Catechismum Catholicum discere, preces Catholicas recitare et caerimonias, sacris Evangelicis contrarias, observare. Scholae anno 1753 Evangelicis permissae, per Administratorem Moszczenski et Generalem Commissarium, summo cum juventutis detrimento, et sumtuum, qui ludos magno sumtu instruxerunt, manifesta injuria sunt sublatae. Sponsus sponsaque in matrimoniis mixtis nati, aut ipsi diversam religionis formulam profitentes, in conjuges non inaugurantur nisi persona Evangelica sacra sequens, ritui Romano nomen det, quae asperitas mox illicitae consuetudini abjiciendoque pudori, mox migrationi ad tutiora loca, qua numerus hominum reipublicae utilium, variisque artibus exercitatorum minuitur, occasionem praebet. Plebani in exigenda cum omnino, tum praecipue a peregrinis Stola, modum excedunt. Evangelici prohibentur funera imponere sepulcris (cryptis), in Tem-

plis Catholicis obviis, per eorum majores, vel hac aetate viventes, sive conditis sive recens instauratis. Ab aegrotis et morituris, solatii egenis, immani violentia Pastores Evangelici arcentur, Sacerdotes vero Catholici arcessiti, adstantes removent, morbo vero correptos et jam animam agentes, variis modis exagitant, discruciantque. Parochi pro imperio exigunt, ut Evangelici divinis Ecclesiae Catholicae obeant, praeceptis non parentes mulctant. Aegrotante Ministro Evangelico, coetus non permittuntur ei alterum substituere; potestatem vero alium vocandi aegerrime, nec nisi solutis centum aureis impetrare possunt. Nefas est oratoria, licet ita ruinosa, ut sine vitae discrimine adiri nequeant, reficere aut angusta ampliare, omnium minime eadem saxo exstruere. In conferendis dignitatibus Evangelici ita negliguntur, ut iis Catholici, muneri publico minus habiles, praeferantur. — Haec erat querelarum series. Petitionum vero hicce fuit modus: Fas sit cuilibet Oppido Scholas condere, iisque Ludimagistros, juventam in linguis, religionis placitis praeceptisque et disciplinis, tam trivialibus, quam altioribus erudituros, praeficere. Sponsus sponsaque vel parentibus diversam religionis formulam sequentibus nati, vel ipsi non uni eidemque Ecclesiae addicti, in conciliandis nuptiis non impediantur. Licentiae in exigenda stola non solum modus ponatur, sed etiam concedatur, ut soluto Parocho Romano-Catholico pretio, V. D. Ministri ritus sacros, baptismi, copulae et sepulturae peragere possint. Sepulcra, ad quae Evangelici jus habent, iisdem reddito Ecclesiae Catholicae decem Imperialium pretio pateant. Evangelici solvantur necessitate Sacerdotem, aegroto adfuturum, arcessere, ornentur contra licentia invitandi Ministrum suae professionis, ex sententia Ecclesiae Evangelicae moribundum ad iter ad superos ingrediendum rite praeparaturum. Parochorum Catholicorum audacia, Evangelicos ad Templa Catholica compellendi compescatur, iique pote-

state eos, qui aedes Catholicas non celebrant, mulctandi priventur. Integrum sit Nostratibus, sine redemtionis pretio, non modo morbidi Ministri locum, alterius opera supplere, aut, a vita recedentis partes alteri, sive Ministro alibi rem sacram curanti, sive Candidato assignare: sed etiam in numerosis coetibus, amplius uno, Ministros constituere. Beneficio vero hocce ante omnia Menhardivillani et Rusquineuses ornentur. Liceat Oratoria et Ministrorum habitationes libere reparare, necessitate exigente extendere, in vicem ruinosorum alia a fundamento, etiam, e solida materie exstruere. Augustanae etiam religioni Addicti, quibusvis muneribus admoveantur, neque si illi repessunt, ad dicendam decretalem, quam vocant, jurisjurandi formulam, adigantur.

Pensitatis et querelis et petitionibus in universum edixit Podolski: Plebanis Romano-Catholicis agendum esse, ut sola verbi divini praedicatione Acatholicos in gremium Ecclesiae Catholicae reducant, accepta usitata Stola baptismum administrent — matrimonium inire volentes, si extraneis quidem exceptis, sine cunctatione et dubitatione in conjuges inaugurent, mortuos sepeliant, vel vero si Stola soluta fuerit, partesque ita voluerint, haec omnia Augustanae Confessionis Ministrum peragere permittant. In specie autem abrogata vi, mulctationibus et miserae plebis omnis generis vexationibus statuit: Augustanae Confessioni Addicti in Tredecim Oppidis a Jurisdictione Cleri Hungarici exemti, legibus et consuetudinibus Regni Poloniae subsunto. — Cum diversitas religionis nullum sit matrimonii contrahendi impedimentum: personae vel in matrimonio mixto natae, vel ipsae variam sacrorum formulam sequentes, matrimonium libere ineunto, neque pars Evangelica ad mutanda sacra cogitor; Parochi copulae nullam difficultatem adferunto, alias desponsatis integrum esto, stola soluta per Augustanae Confessionis Ministrum se in conjuges inaugurari curare. Ceterum in matrimoniis mixtis

filii patris, filiae matris sacra sequuntor. — Ab extraneis etiam, non major, quam a domesticis Stola exigitor; et tam illis quam his, licitum esto, si voluerint, in inaugurando solemni ritu matrimonio, infantibus lavacro sacro initiandis et mortuis sepeliendis suae Confessionis Ministrorum opera uti. — Augustanae Confessioni Addictis nefas quidem esto funera sepulcris, in Templis jam Romano-Catholicis obviis etiamsi priscis temporibus ab Evangelicis fuerunt parata, condere: attamen in quovis oppido locus, in formam coemeterii redigendus, adsignator, ibique eorum mortui tuto humantor. — Abrogata Parochum ad aegrotum arcessendi necessitate, sublatisque mulctis, iis qui sacerdotem non acciverunt irrogatis, atque interdicta inhumanitate, Parocho praesente, adstantes e cubili aegri ejiciendi: Augustanae Confessionis Ministri morbo adfectos libere adeunto, eosque ad moriendum cum spe certissima aeternae felicitatis praeparanto. — Celebratione Sacrorum Catholicorum, omnium curae commendata, mulctae adhuc iis, qui sacra illa obire nolebant irrogatae, abrogantor, Evangelicique necessitate pluribus, quam quatuor singulis annis vicibus, quibus nempe munera pia (offertoria) conferuntur, Templa Catholica adeundi solvuntor. — Ministro Acatholico valetudine affecto, vel vero rebus humanis erepto: fas esto priori in casu interim alium substituere, posteriori in casu unum pluresve Pastores, sine redemtionis pretio, muneri sacro admovere, admotis de victu prospicere, et ministerio eorum uti. Quare coetibus Menhardensi- et Rusquinivillano, ante Ministris orbatis, venia haec extemplo admittitor. — Tredecim Oppidanis Evangelicis copia dator, Oratoria hospitiaque, in usum Ministrorum et Ludimagistrorum, non tantum instaurare et ampliare, sed etiam ubi vel nulla, vel vetustate sublapsa sunt, alia a fundamentis etiam, ex ipsa adeo solida materie exstruere. — Cum in viris muneribus publicis praeficiendis virtus potissimum et dexteritas spectanda sit: publica officia sine differentia religionis, vitis aptis rerum-

que gerendarum peritis conferuntor, neque in auspicando munere formula jurisjurandi, quam placita doctrinae Evangelicae reprobant, sacramento obligandis, obtruditor.

Podolskyum Tredecim Oppidanis Evangelicis, praeter jus et fas nihil largitum esse, sanus nemo non videt. Verum enimvero vix commodorum nonnullorum, Evangelicis Tredecim Oppidanis concessorum, fama, ad *Josephum Carolum Zbisko*, Episcopum Tinniensem, Suffraganeum Archi-Episcopatus Strigoniensis Praepositum et Generalem Vicarium Scepusiensem manavit: hic odio incensus et invidia commotus, ad Pro-Cancellarium Regni Poloniae, *Wodziczkyum* die 7. Martii 1758 literas dedit, quibus ei primum aperuit, Acatholicos Tredecim Oppidanos incredibili gaudio efferri, ob jus, per Cognitores Polonicos datum, Ministros in loca, a quibus adhuc arcebantur, inducendi, Oratoria ampliandi, Scholas, inprimis Ecclesias condendi, multaque in deprimendam religionem Catholicam instituendi; deinde eum nimium quantum obtestatur, ne quidpiam, quod religioni Romano-Catholicae fraudi esse posset, concedat, agatque ut omnia, quae religionis negotium concernunt, pristino loco serventur, neque se, cui Cleri et religionis Catholicae defensio, per Scepusium commissa est, inaudito, Tredecim Oppidanis Evangelicis ulli favores concedantur.

Prius quam Wodziczky rescriberet, Zbisko comperto eo, Menhardivillanos et Rusquinenses, Ministros, quibus dudum carebant, cooptasse, ad Tredecim Oppidorum Comitem, Joannem Barvulszky literas dedit, quibus eum provocabat, abrogaret munus Pastoribus, in commemorata Oppida introductis. Verum Comes die 14. Martii 1758 respondit, se sacramento, quo Magistratui suo fidem et obsequium promiserit, a secundandis Episcopi consiliis prohiberi.

Plus solatii cepit Zbisko ex literis Wodziczkii, qui ei retulit, se post communicatas cum Comite Brühl lite-

ras, quas ab Episcopo acceperat, id a Starosta responsi, accepisse: „rigidissimam, justitiam unicam fore normam, omnium, in Capitaneatu Scepusiensi gerendorum, — nunquam se concessurum esse „ut quis in detrimentum sacro sanctae religionis Catholicae, multo minus in ejus oppressionem, quid moliri audeat, inprimis se habere in votis, ut omnes omnino Capitaneatus incolae, Juribus et Privilegiis suis secure fruantur.“ Verum breve fuit Zbiskii gaudium; quo enim, verba haec, coram Pro-Cancellario Poloniae prolecta, sensu sumi debeant, ipse Capitaneus Brühl, literis ad Episcopum, in hanc sententiam scriptis, declaravit: „Mirari se, Episcopum agendi rationem Quaesitorum et Cognitorum (Comissariorum) ex Capitaneatu Scepusiensi haud pridem reducum, incusare, quum illi — alter quidem a Rege, alter a se denominatus, — ambo fuerint Catholici, probitate, caritate, amore justitiae, studioque religionis Romano-Catholicae conspicui; — ut cuique suum tribuatur, divina et naturae lege nos teneri; summa probitatis esse, ut et iis, qui in sinu Romanae Ecclesiae non foventur, justitia administretur, iique jam qua cives mundi, arcto cum Catholicis vinculo juncti, ab oppressione, cui ingemiscunt, vindicentur; — neque sanctissimum Redemtorem, neque legatos ejus vi ad homines doctrinae, quam tradiderunt probandae devinciendis, usos fuisse; — ipsam suavitatem jugi Christi, cum duritate in eos, qui nobiscum ejusdem sunt naturae, nulla ratione copulari posse; — fidem, Dei donum, vi cordibus hominum inculcari nequire; — non commoveri se eo, quod Acatholici nacti fuerint potestatem denuo vocandi Ministros, quos et ante habuerint: sed vehementer mirum sibi videri, quod Evangelici Tredecim Oppidani passi fuerint se jure hocce privari; — justitiam minime permittere, ut Repulsam ferant Acatholici efflagitantes, ut Oratoriorum aedificia, coetus numerosos non capientia, amplificare ipsis liceat; — non credere se, ut Episcopus dubitet, accrescente

equorum numero, equis sui terminos proferre; quare se non videre cur Nostri similibus commoditates denegentur, quas animalibus rationis expertibus liberali manu largiatur. — Non capere se quamobrem Episcopi religionis Catholicae studium, in Tredecim Oppidis longe ardentius, quam alibi sit; — defensionem Cleri et Religionis Catholicae Episcopo etiam Leutschoviae et Kesmarkini esse credendam; et tamen in Civitatibus hisce Lutheranos scholas habere, quae si ibi Romano-Catholicis nullum inferunt detrimentum, neque Igloviae illaturas esse, verendum sit.

Ad literas has Zbisko die 28. Martii 1758 rescripsit, „se venerari Comitis studium, pacem et tranquillitatem inter Tredecim Oppidorum incolas conservandi, certum tamen se, consilium hocce certissime obtentum iri, si ea, quae Poloniae Regina, Maria Josepha, in causa religionis sanxerit, in Capitaneatu Tredecim Oppidano porro custodiabuntur et observabuntur; deinde queritur Zbisko, temerario ausu, Menhardi- et Rusquinivillae Ministros fuisse introductos, oratque Brühlium tenerrime, ne audaciam hanc inultam impunitamque ferat.“ — Eodem tempore ad Brühlii quoque conjugem profugit Zbisko, rogans, ut maritum ad Menhardenses et Rusquinivillanos, Pastorum susceptorum causa, puniendos permoveat, atque salutem Ecclesiae Evangelicae cum detrimento religionis Catholicae provehi impediat. Uxor Brühlii literas ad Zbiskium dedit, non minus vere, quam graviter scriptas, quibus docuit maritum suum nihil prorsus in Tredecim Oppidis instituisse aut permisisse, quod non jure Privilegiorum, Tredecim Oppidanis prisca jam aetate concessorum iis deberetur; hac de causa etiam Menhardi- Durandiquevillanis, potestate Pastores alendi de facto, non de jure privatis, Pastorum cooptandorum veniam esse datam; sine manifesta injuria Evangelicos juribus, quae sibi vindicant, exui non posse; neque honori neque saluti Ecclesiae Romano-Catholicae conducere, si illa vi, lenociniis, poenisve utitur, ad hominum

animos Ecclesiae Catholicae conciliandos. — Ipse etiam Brühl per literas Zbiskio indicavit, suo consensu factum fuisse, ut Menliardi- et Durandivillani Pastores obtinerent. Impiger Zbisko denuo die 25. April. 1758 et Brühlium et uxorem ejus literis adiit, quibus declaravit, cum Starostae permissu Menhardi- et Durandivillae Pastores sint introducti, sibi tantisper in Comitis voluntate acquiescendum esse. Ceterum non erubuit commemorare beneficia commodaque pacis Vestphalicae, ad Evangelicos Hungaros, quorum partem etiam Tredecim Oppidani constituunt, non pertinere; in Hungaria enim praeter religionem Romano-Catholicam, nullam aliam civitate esse donatam; — reliquas omnes ad arbitrium summi Terrae Principis tolerari solum ajebat. Quare iterum quam tenerrime obsecrat Comitem, ut quae per priores Starostas in religionis causa in Tredecim Oppidis fuerunt statuta sancitaque, haec inviolata conservare, atque si inquieti incolae ad ipsum Capitaneum profugerent, nullis eorum precibus se inaudito indulgere locumque relinquere velit. Brühlii vice, marita ejus d. 17. Maji 1758 Varsavia Zbiskio rescripsit: „Comiti volupe fuisse audire, Episcopum in Ordinibus, religionis causa in Capitaneatu Scepusiensi institutis, conquiescere. Certum praeterea esse jubet Zbiskium, Evangelicis Tredecim Oppidanis severissime interdictum esse, ne quidpiam committant, quo querimoniis ullis occasionem praeberent; maritum tamen suum etiam a Catholicis, sibi par pacis tranquillitatis, aequanimitatisque studium polliceri. Quod vero ad diversitatem jurium et beneficiorum adtinet, quibus Protestantes in Germania et Hungaria gaudent, monet Comitis uxor, se non latere Germaniae Protestantes libertates suas Pacificationibus publicis, Hungariae vero incolas Evangelicos, beneficia sua Regum Privilegiis referre accepta; minime tamen convenire asserit, ut Imperans quidpiam nominis subnotatione et obsignatione stipuletur, quod observare nolit; neque fas esse, ut quispiam, quod

Reges concedunt, privata auctoritate violet; — experie tiam praeterea docere ait, religionem Catholicam semp plus detrimenti, quam emolumenti cepisse, si in sopie dis controversiis, religionis causa agitatis, justitiae lo violentia fuerat adhibita."

Tricis et contentionibus hisce finem impositurus Ri dolszky, assumto Viro consulari, Joanne Izdenczy, mens Julio 1758, Viennam concessit, confirmationem regiam m rum impetraturus, quae auctoritate Comitis Brühl — Tr decim Oppidanis Evangelicis opitulaturus — sanxerat. Se quamvis summa cum contentione et dexteritate rem Aug. Con Addictorum in Tredecim Oppidis egerit, obtinere tam non poterat, ut Regina Maria Theresia sententiam eju quam, auditis Tredecim Oppidanorum querimoniis, et pet tionibus protulerat, probaret. Etenim praeter vanas Ca cellariae promissiones, nihil precibus assecutus est. Ata que irrito conatu causam Evangelicorum Tredecim Opp danorum apud Generalem Archi-Episcopatus Strigoniens Vicarium, *Szent-Illonyayum*, Tyrnaviae egit. Declarav quippe eidem per literas, quoniam conscientiarum reg men Deus unice sibi reservavit, nec fides aut veritas i et externis coactionibus cuipiam in mente insculpi possi sed praedicatione verbi divini et illorum, quibus hae commissa est, vita, laude et imitatione digna leniter i animum imprimi debeat, se quod ea, quae adhuc in Tre decim Oppidis vi et impressione atque per varias mis rorum hominum, spretis eorum Privilegiis vexationes, pe peram evenerunt, nulla ratione probare posset: cuncta non legitime facta corrigere, atque Tredecim Oppidanis Evangelicis ea Jura, quae iis et leges, consuetudinesque Regni Poloniae et Privilegia iis pristinis temporibus co cessa tribuunt, reddere debuisse. Igitur rogavit, ut Illonyay Parochos Tredecim Oppidanos in officio sese contineri jubeat, eosque repagula juris perfringere vetet. Enim vero ab Vicario hocce d. 22. Aug. 1758 futile accepi

responsum, quo relegabatur ad negotium cum Episcopo Zbisko transigendum; ceterum vero monebatur, libellum supplicem Tredecim Oppidanorum, quem Podolszky cum eo communicaverat, videri ei similem precibus furiosi, gladium quo se et suos laedat petentis; quippe quod ea precentur, quae certissima sunt remedia, sese in Acatholicismo firmandi et in eo suam quoque prolem educandi."

Repulsa hacce, quam Podolszky et Viennae et Tyrnaviae fuerat passus, animatus Zbisko, quo Brühlio reipublicae Polonae odium concitaret, *coram Officio castrensi Sandecensi, scripto in Capitulo Scepusiensi die* 14. *Aug.* 1759 *composito die* 3. *Septembris per legatos intercessit*. Erant autem accusationis, intercessione (protestatione) hac contentae, puncta haec: Quod Praedicantes, qui Maria Josepha regnante Menhardi- et Rusquinivillae decesserant, nec alios illis surrogandi copiam Tredecim Oppidani obtinere poterant, rursus Capitaneo Brühl ad clavum sedente, in Oppida haec introducti sint; quod munere Grafio et Judicibus Catholicis ad officia aptis, abrogato, Lutherani iis sint suffecti; quod dum cives Tredecim Oppidani in causis, Forum spirituale concernentibus, per Consistorium Capituli Scepusiensis in jus vocantur, contumaciter comparere detrectent, adfirmantes, per Capitaneum, ne sese sistant, iis prohiberi; quod Evangelicis Tredecim Oppidanis nonnisi simplicia lignea Oratoria, in serie reliquarum domorum horreorumque aedificare permissum fuerit, ita, ut horreorum forma retineretur, aedes vero, superiori tabulato, suggestis sacris, choro et organo careret; modo autem admitti, ut aedes hae splendide struantur, Ecclesias (Templa) Catholicas exaequent et supra alia aedificia emineant; ipsum Capitaneum insolentiam hancce Tredecim Oppidanorum Evangelicorum eo adjuvare, quod — ut Durandivillae et Varaliae fecit — Oppidanis speciem (Abriss) aedium submittat, qua haere-

tici illi ovantes Catholicosque ludibrio habentes, utuntur; — quod ad Oratoria usque ad annum 1757 non alii, quam Tredecim Oppidorum, Luthero addicti incolae, fuerint admissi, quia extraneos gravissima mulcta immitti prohibebat, jam vero nunc privatae hae domus promiscue hominibus ex vicinis Jurisdictionibus, Hungariae vicis et oppidis adventantibus, spretis Cleri iteratis intercessionibus, pateant; — quod Tredecim Oppidani Acatholici ante non in alias, quam Catholicas scholas prolem suam mittebant, modo privatos suae sectae Paedagogos alant, ad quos juventa Acatholica turmatim confluit, ludis Catholicis vacuis relictis. Quamobrem contra omnia et singula haec, Ecclesiae Romano-Catholicae et in Tredecim Oppidis religioni dominanti, summopere noxia, haeresi propitia et plurimorum hominum salutem in discrimen vocantia, Consistorium Archi-Episcopale coram divina Majestate, gloriosissima virgine Maria, item coram officio et loco credibili Castri Sandecensis ac per illud, coram tota Serenissima republica Polona totoque mundo intercedebat (protestabatur). Comes Brühl solenni hac accusatione ad causam dicendam provocatus, *prolixo scripto* (*Reprotestatione*) *in Curia Varsaviensi exhibito*, non modo querelas Cleri Scepusiensis solide confutavit, sed etiam causae suae aequitatem toti Reipublicae comprobavit, ita ut evidentissime demonstraret Intercessionem Consistorii Scepusiensis et publicis in negotio religionis editis legibus et supremae auctoritati suae et Privilegiis Juribusque Tredecim Oppidanorum adversari et vel hac de causa nullam censeri debere. Adfirmavit generatim Brühl, se neque quoad spirituale forum, neque qua temporale regimen, in Tredecim Oppidis quidpiam immutasse, quod cum Privilegiis Evangelicorum, Tredecim Oppidanorum consistere non posset. Specialiter vero docuit Lubomirskium quidem, Dissidentium in Oppidis laudatis Templa, anno 1674 occupasse et in Ministrorum locum, Sacerdotes Romano-Catholicos

›stituisse: mox tamen iis auctoritatem erigendorum Ora-
iorum publicorum, cooptandorumque Pastorum tribuisse,
cujus juris usu nonnisi ab eo tempore turbari coeperint,
› Josephus Carolus Zbisko Consistorii Scepusiensis ha-
ıas capessivit. Contendebat adhoc, eundem Zbiskium
Evangelicos extra Tredecim Oppidorum gremium, in Dioe-
i ejus, Hungariae urbes, oppida vicosque incolentes,
a eadem ratione furere. Monuit praeterea probari non
sse, se in Catholicorum oppressionem connivere, eorum-
e ruinam adjuvare, cum non solum totam suam familiam
religione Catholica educari jusserit, sed et ad instau-
dum Templum Varaliense Catholicum 400 Imperiales
verit, et ad recens aedificandam Podolini turrim 1500
periales contulerit. Asseveravit insuper, ad munera
lica obeunda nulla religionis ratione habita deligi viros,
nomen probi et justi merentur, patriae jurium atque
um periti sunt, omniumque amorem sibi conciliarunt.
sum esse ajebat, omnes Catholicos a dignitatibus atque
edecim Oppidorum Magistratibus esse remotos, cum
raliae, Olassii et Libicae Judices sacra Romana profi-
ntur. Observavit cultum divinum Dissidentium non pu-
ce agi, sed modo formaque ante solemni; prohiberi non
se ne peregrini, qui commercii causa ad Tredecim
pida veniunt, sacris Evangelicis intersint. Oratoria Va-
li et Durandivillae recens exstructa, ab aliis aedificiis
ı differe, cum sint lignea; fenestrarum autem usum ne
laeis quidem negari notavit. Commemoravit insuper, si
holae prioribus temporibus in Tredecim Oppidis esse
nerint, tanto minus adesse rationem cur Oppidorum
olae earum jure nunc exuantur, quod ipsa Regina Ma-
Josepha, Rescriptis d. 4. Decembris 1753 et 22. Sept.
53 Administratori Mosszczenski praeceperit, ut Scholis
atholicorum indulgeret. Denique calumniam esse pro-
sus est, quod impedivisse dicatur, ne Tredecim Oppi-
um incolae in causis ad Judicium spirituale pertinenti-

bus, coram Consistorio Scepusiensis Capituli compare — Enimvero cum ne nunc quidem adversarios ob... scere videret Brühl, molestiarum pertaesus, ad ... Caesareo-Regiam appellavit, et per *Legatum suum*, ... *trum Nicolaum L. B. a Gartenberg*, causae, in quaest... nem vocatae, dijudicationem et decisionem, Reginae ... riae Theresiae detulit. Instruxit vero nuncium suum ... ris, quas Credentionales vocant, hanc in sententiam ... ptis: „Ego Henricus S. Rom. Imperii Comes de Br... Starosta Scepusiensis etc. hisce notum facio quibus ... dit universis: Quod posteaquam Illustrissimum Domi... Petrum Nicolaum, Liberum Baronem de Gartenberg ... fine ablegavissem, ut commissa sibi negotia, Tred... Oppida Scepusiensia concernentia, Sacrae Caesareo-... giae Apostolicae Majestati, nec non Ejusdem Excelso ... nisterio proponeret, atque ab eo definienda curaret, ... dicto Illustrissimo Domino Baroni de Gartenberg, speci... eatenus Mandatum impertitum esse, liberamque facult... dedisse, ut summefatis in locis, mentionata negotia ... decim Oppidana, meo nomine tractare, de iisdem ... mode transigere, Reversales, si quae ab eo exigere... exhibere et verbo omnia ea, quae quodammodo ad ... movenda repetita saepius negotia Tredecim Oppidana ... currere possent, agere atque curare valeat ac debeat, ... ipse ego, si praesens essem, curare, de iis transig... agere atque tractare possem ac deberem; atque id ... clausula rati, grati, idemnitatis et si oporteret etiam ... plioris, hic non expressu facultatis. In cujus rei ... uberiorem, praesentes manu propria subscribo et ... mei appositione munio. Datum Varsaviae mense Ja... 1760.“ Gartenberg postquam identidem cum Cancel... Aulica Vindobonae rem contulisset, postremo nomine ... mitis Brühl declaravit: „*quod Systemati, in materi... ligionis, per complures Caesareo-Regias Resolutione... Regno Hungariae introducto et stabilito*, — cujus ...

opsim superius pag. 28 — 30 exhibuimus — *sese quam exactissime conformare, illudque in Tredecim Oppidis inviolabiliter observandum procurare velit.* Qua de re Apocha quoque, seu Reversalibus in hunc modum conceptis cavit: Ich Endesgefertigter verbinde mich hiemit auf das Kräftigste und Feierlichste, dass, nachdem mit Ihro Römisch-Kaiserlichen und zu Hungarn und Böhmen Königlich-Apostolischen Majestät Allerhöchster Genehmhaltung, das, in dem Königreich Hungarn eingeführte und festgestellte Religionis Systema, durch den Königlichen Hungarischen Hof-Canzler Tit. Herrn Grafen Nicolaus Palfy Excellenz, dem Königlich - Polnischen und Chur-Sächsischen Premier-Minister, Herrn Grafen von Brühl, dermaligen Inhaber der Starostie Zips, communiciret worden: ich bey denen Inwohnern, derer in Besitz habenden XIII Städte und Ortschaften, als obgedachten Herrn Grafens Sachwalter, ob der genauen Beobacht- und Nachlebung vorerwähnten Religionis Systematis auf das Gefliessenste besorgt seyn, womit demselben in all und jeden sich ergebenden Fällen vollständig nachgelebet werde und mit beständiger Einvernehmung des dasigen Probstes und Bischofs, wie auch des Löblichen Zipser Comitats das Gehörige vorzukehren — beflissen seyn will. Actum Wien, den 9. Februar 1760. Peter Nicolaus Freyherr von Gartenberg." —

Pactione his legibus Mariam Theresiam inter et L. B. a Gartenberg confecta, Regina de causa hac Zbiskium edoceri, ei Reversales Gartenbergii communicari atque praecipi jussit, ut cum Brühlio et ejus vicariis in concordia viveret, Scholas Acatholicorum triviales ad Grammaticam inclusive, in Tredecim Oppidis impetere caveret, atque curaret, ne Plebani in exigenda ab Acatholicis Stola, normam praescriptam excedant, vel amplioris pretii obtinendi gratia, actus stolares differant. Commendatum praeterea Regina Zbiskio vult, ne inanes difficultates adferan-

tur hominibus disparis religionis matrimonium contrahere volentibus, quippe quod hac ratione libidinosis consuetudinibus adulteriisque ansa praebeatur. Mandatum denique Praeposito cupit, ut hic Plebanos et eorum vicarios, ejus Jurisdictioni subjectos, Evangelicos liberaliter tractare, exemplum mansuetudinis edere, ab inconvenientibus comminationibus et imprecationibus intentandis abstinere jubeat. — Liberum Baronem a Gartenberg optimo consilio instaurandae quippe pacis et harmoniae, in adoptandum et in Tredecim quoque Oppidis observandum hocce systema consensisse, dubio caret. Certum tamen est, illud plus noxae, quam emolumenti redundasse in Tredecim Oppidanos Evangelicos. Ita enim Comes Brühl jure cu[...]batur, Tredecim Oppidanos Evangelicos favore [...]ctendi; deinde sors Apostatarum, quorum crimen ad li[...]ros nepotesque extendebatur, summo discrimini ob[...] evasit; praeterea quum per commemoratum systema, li[...]rum religionis exercitium, nonnisi ad loca Articularia [...] strictum foret, Tredecim vero Oppida iis non acce[...]rentur, factum est, ut in religionis exercitio omnino, [...] specie vero, in condendis Scholis, identidem magna Tre[...]decim Oppidanis adferrentur impedimenta. Denique [...] eidem systemati convenienter, nonnisi ii muneribus pu[...]cis admoveri possent, qui jusjurandum decretale dicere[...] Evangelici, qui salva conscientia formulam illam pro[...] non poterant, ipso facto a muneribus publicis exclu[...]bantur.

Dum haec Viennae agerentur, *Zbisko* non exspecta[...] Reginae sententia, *cum suo Consistorio novam d.* 31. Ja[...] 1760 *paravit Intercessionem, Intercessioni* (Reprotesta[...]tionem, Reprotestationi) *Brühlianae oppositam*, quam [...] officio castri Sandecensis, per Parochos Carolum Hor[...] et Alexandrum Vitalis, tradi jussit, tradiditque feria [...]tia post festum Purificationis b. Virginis Mariae proxi[...] an. 1760. In libello hocce Zbisko cum gregalibus su[...]

recoquendo priorem crambem asserit, Brühlium omnino, quoad spiritualia — spreta Juris ecclesiastici auctoritate — multa immutasse, cujus rei documentum vel Praedicantium, quibus Maria Josepha ad Capitaneatus gubernacula sedente, Menhardi - et Rusquinivillae munus abrogatum fuit, ad oppida haecce reductio, esset. Eundem Brühlium domus privatas (Oratoria) anno 1695 arctioribus terminis circumscriptas, anno 1702 una cum Praedicantibus sublatas nullisque partis, quae illis patrocinarentur tectas tutatasque, restituere. Praeterea Starostam cum summa religionis Catholicae, quae in Tredecim Oppidis dominans esse debet, noxa, Lutheri sectatores muneri Grafii, Tredecim Oppidanorum Judicum, et Gubernatoris admovisse, quamvis non desint Catholici, muneribus illis gerendis habiles et contra usum priorum temporum, quibus non obstante electione libera, semper Romanae Ecclesiae addicti viri, Judicium honores gesserunt. Commemoravit praeterea Zbisko, Oratoria Varaliense et Durandivillanum, nulli tecto contigua, aliisque Oppidi aedificiis eminentiora, tabulato instructa compluribus amplis fenestris ornata, suffragante Comite Brühl erecta, non posse dici domus privatas, sed Ecclesias (Templa), Ecclesiis Catholicis suppares. Monuit amplius Episcopus, quamvis ad Oratoria locorum solum incolis admissa, extranei nullo sub praetextu immitti deberent, hos tamen catervatim eo convolare. Addidit Scholarum jus, Catholicorum fuisse proprium, omnesque parvulos sine religionis discrimine ludis illis addici debere; enimvero indulgente Starosta Paedagogos Lutheranos, ad quos Evangelicorum nati turmatim confluunt, suscipi, quo fiat, ut Scholae Catholicae vacuae maneant et Ludimagistri Romano-Catholici inopiae et egestati exponantur. Quare intercedere pergit Zbisko cum Capitularibus suis, omnibus et singulis Brühlii factis Ecclesiae Romano-Catholicae, tanquam religioni in Tredecim Oppidis dominanti, praeju-

diciosis, haeresi faventibus et multorum salutem periclitantibus.

Hac de re edoctus Gartenberg, scriptum hocce Zbiskianum Reginae Mariae Theresiae tradidit, adnexa Brühlii defensione, qua evicit, perperam Consistorium Scepusiense adseverare, duos Praedicantes Rusquini- et Menhardivillae per Poloniarum Reginam sublatos et loco motos fuisse, cum ii potius in commemoratis Oppidis diem obierint, et nonnisi iis fato functis, Oratoria Oppidorum occlusa coetibusque potestas negata fuerit, alios iis surrogandi. Adfirmat Baro, Brühlium eodem jure Oratoriis laudatis, Praedicantes praeficere potuisse, quo iisdem prius denegati fuerint, tum, quod nulla lege ab hoc instituto arceretur, tum quod cives horum Oppidorum a hominum memoria sacrorum jure gavisi fuerint. Docet praeterea, temere adserere Consistorium priores Capitaneos jus exercuisse Comitem, qui semper Catholicus esse debuerit, denominandi, quippe quod Comes seu Grafius nunquam non liberis Tredecim Oppidanorum suffragiis fuerit electus, saepeque Evangelicos etiam, munus hocce — ut vel ex exemplis Joannis Szontaghii et Ludovici Grienblatt patet, qui vivente Lubomirskio, longa annorum serie, non sine nominis commendatione provinciam hanc administrarunt — esse sortitos. Negat Gartenberg Tobiam Jony per Brühlium fuisse ad Grafii honores profectum, sed eum per Tredecim Oppidorum Judices et praefectos, ob vastissimam, qua pollet eruditionem et fidem integerrimam, innumeraque merita libere fuisse electum ait. Oratoriis Durandivillano et Suburbano (Varaliensi) Consistorium offendi, sibi non esse mirum declarat Baro, quippe quod Consistorium hocce, vel innocentissimis quibusvis rebus, quae ullam ad miseros Augustanae Fidei socios habent rationem, offendi soleat. Differre Oratoria illa, ab aedibus aliis privatis, differre neminem alium dicere posse confirmat, quam qui ex Oppidis et pagis Scepusiensibus nunquam

fuerat egressus. Addit insuper, ipsa horrea, quibus Consistorium similia esse cupit Oratoria Evangelicorum, hodie non amplius redolere obsoletam architecturam Gothicam, ad cujus normam omnia olim aedificia erigebantur. Cum fenestrae ne Judaeorum quidem Synagogis denegentur, non videri censet, cur eadem gratia Evangelicis negetur. Extraneos, qui iter facientes improviso oratoria adeunt, a limine templi removere, durum, indecens atque injustum esse opinatur. — Quare cum Brühl Religioni Romano-Catholicae in Scepusiensi Capitaneatu nullum intulerit damnum, Consistorium autem Scepusiense coecò odio adversus eum abreptum, sine fronte eundem toti Polonorum reipublicae per famosam Intercessionem (Protestationem et Reprotestationem) cujus singula verba virus et odium evomunt, suspectum et exosum reddere, atque eo ipso motus, qui Comitem in summum discrimen adducere possent, excitare, conscientiae sibi non duxerit: Gartenberg flexo poplite Reginam orat et obtestatur, ut non tantum ob notum hocce scriptum Episcopum et Praepositum Scepusiensem Zbiskium redarguat, sed et eum officio obliget, obnoxios ei Capitulares et Parochos, serio cohortandi, ne in posterum se hujusmodi libellorum reos reddant, multo vero minus ipsi compilare tentent. His omnibus perceptis, Regina facto hocce nefario Praepositi, tantopere commota fuit, ut Rescripto d. 17. Martii 1760 Excelso Consilio Locumtenentiali Regio Hungarico praeceperit, ut siquidem negotio Tredecim Oppidanorum ad augustam aulam delato, Praeposito ejusque Consistorio ab elargienda benigna Resolutione praestolandum fuit, non autem hujus generis scriptum, quod publicae tranquillitati perniciosum et periculosum esse potuisset componendum: Praeposito illi ejusque Consistorio inconsideratum et audax factum severe improbaret, eosque a facinoribus talibus audendis avocaret; si quid querelarum deinceps habuerint, id eos legitima via altissimo loco proponere juberet, quae Praeposito Reso-

latione d. 12. Febr. 1760 praescripta fuerunt, iis cum exactissima cura et diligentia morem gerere et cum Barone Gartenberg concordissime vivere imperaret. — Ceterum ne nunc quidem resipuit insanus Zbisko; quamdiu enim vixit semper in lucro ponebat, spreta Reginae et Starostarum auctoritate, Evangelicos Tredecim Oppidanos affligtare.

Henrici Brühl in Capitaneatu Successor, filius *Carolus Adolphus*, neque favores in Tredecim Oppidanos Evangelicos contulit, neque iis gravis fuit. Etenim regimen ejus, quod d. 2. Junii an. 1764 auspicatus est, et quo jam mense Februario an. 1765 decedens debebat, non amplius octo durabat mensibus.

Postquam imperii in Tredecim Oppidis summum *Casimiro Ponyatowszky*, Poloniae Regis Stanislai Ponyatowszky fratri, mense Februario anni 1765 obtigisset: Evangelici Tredecim Oppidani Principem per legatos rogarunt, ut eorum liberum religionis exercitium et facultatem Scholas habendi, peculiari Privilegio confirmaret, aegroto Pastore domestico extraneum arcessere, mortuo vero libere alium cooptare, Templa Parochiasque reparare, ampliare, imo novas quoque struere permitteret et viris exercitatis peritisque aditum ad omnis generis munera aperiret. Sed Capitaneus d. 12. Januarii 1768 rescripsit, se eos in usu illarum solum Libertatum et Jurium conservaturum esse, quibus vicinae civitates regiae in regno Hungariae gauderent. Wir wollen — haec sunt Principis verba — die Dissidenten allemal in den Rechten und Gewissensfreyheiten unterstützt wissen, welche die Evangelischen in denen benachbarten königlichen Ungarischen Städten geniessen. Ceterum quantopere ab omni Evangelicos Tredecim Oppidanos persequendi studio alienus fuerit Ponyatowszky, ex literis ejus ad Zbiskium datis patet. Peracta quippe fuit Instauratio Magistratus Oppidani Varalii, Praeposito volente ita, ut Evangelici a li-

nore Magistratus prorsus excluderentur. Hoc cum Theodorus Ellstermann Vice-Capitaneus improbaret. Comiti Tredecim Oppidano Tobiae Jony negotium demandavit, Varalii novam eamque liberam Magistratus electionem instituendi. Auditis his Zbisko Principem per literas diei 4. Jan. 1766 rogavit, ne Ellstermannum, quem non Commissarium et Gubernatorem, sed Lutheri in Tredecim Oppidis Emissarium vocat, in Catholicos ita saevire pateretur, simulque significavit se, si mutatio per Vice-Capitaneum ordinata susciperetur, intercessurum (protestaturum). Fecit quod minabatur Zbisko per Varaliensem Parochum, non exspectato Principis responso. Quare hic Intercessionem factam summopere improbat simulque declarat, „se munere suo Capitaneali teneri ad Libertates, Consuetudines, Jura, Privilegia Tredecim Oppidorum — quo etiam potestas Magistratus libere legendi pertinet — illibata et illaesa servanda." Quod vero in opprimendos Evangelicos non consentiret, hisce excusat verbis: „Princeps jam Lubomirius, ac alii, qui fuerant ante hujus Capitaneatus possessores, subinde modis severioribus tentarunt inducere in his locis religionem Catholicam, plurima vero in Actis exstant et docent documenta, quam prudenti consilio mox a proposito abstinuerint. Nec ipsa Regni Hungariae Jura sinunt, ut dissidentes in religione sibi sint invicem noxae."

Quum postea anno 1772 mense Septembri Tredecim Oppida Coronae regni Hungariae fuissent restituta: *Tractatus Varsaviensis* diei 18. Sept. an. 1773 de pristino (statu quo) ratione sacrorum Evangelicorum in Tredecim Oppidis, Articulo Quinto his verbis cavit: „Dissidentes et Graeci non Uniti, qui provincias praesenti Tractatu cessas incolunt, gaudebunt possessionibus et proprietatibus suis, quoad statum civilem; et respectu religionis conservabuntur omnino in statu quo, nempe in eodem libero cultus ac disciplinae suae exercitio, cum tantis et talibus eccle-

siis bonisque ecclesiasticis, quae possedere in momento transitus sui ad dominium Suae Majestatis Imperialis Regiae et Apostolicae mense Septembri an. 1772. Neque Sua Majestas Juribus summae potestatis in praejudicium Status quo circa Religionem Dissidentium et Non-Unitorum in regionibus supra dictis unquam utetur.

Periodus quarta.

A Tredecim Oppidis Regno Hungariae restitutis, usque ad peractam Coetuum sacrorum, Senioratui Tredecim Oppidano attributorum, Ecclesiasticam Recensionem, canonum normae accommodatam; seu ab a. 1772 — 1825.

Quae fuerit conditio Evangelicorum in Tredecim Oppidis, *Maria Theresia* regnante, inde metiri licet, quod Regina haecce in tractandis illorum Oppidorum incolis Evangelicis, secuta sit systema, in negotio religionis, in Regno Hungariae receptum. Hinc factum est, ut in vocandis Ministris, condendis Scholis et Viris Evangelica sacra profitentibus muneribus publicis admovendis, difficultas offerretur, imo exercitatissimi et dignissimi saepe Viri, ex religionis odio hominibus rudibus, peregrinis, ob paupertatem avaris, mercenariis, trituratoribus, Catholicis Ludimagistris locum cedere cogerentur, Parochi Romano-Catholici ad aegrotos, ipsos adeo Pastores Evangelicos arcessiri juberentur et his advenientibus propinqui Evangelici ex cubili pellerentur, aegroti ipsi et morientes varie vexarentur; ob negatum vero exitum, vel non vocatum Parochum mulcta irrogaretur, mortuisque, si cives fuerunt, honesta sepultura aegre concederetur, sin Ministri etiam stola soluta, prorsus negaretur, tempestate Copulae jusjurandum decretale sponsis, saepe maximo cum impetu, verbis contumeliosis et dirarum imprecationibus coram altari, cum loci sacri profanatione obtruderetur, necessitas sacra Ro-

mano-Catholica obeundi imponeretur, et qui id facere negligerent punirentur, Evangelici sacra sua alio tempore, quam quo Acatholici pietati vacabant, obire juberentur a legationibus et pertractationibus negotiorum, ad religionem et ecclesiam pertinentium excluderentur, actus Stolares solis Sacerdotibus Catholicis deferrentur, Collegiorum cives Evangelici, opifices, mechanici, mercatores, vi privilegiorum ad Theophoricas, quas vocant, processiones caerimoniasque eorum religioni contrarias, adigerentur. Memorabile hanc in rem — ut assertorum veritatem argumentis comprobemus — est Intimatum diei 19. Decbr. 1777, quo Administratori Provinciae Sedecim Oppidorum Scepusiensium demandabatur, ut „tempestate suscipiendae Magistratualis in Sedecim Oppidis Restaurationis ea potissimum, quae pro incremento et emolumento orthodoxae Fidei Catholicae utilia, proficua, commoda fore videbuntur, prae oculis habeat, atque jusjurandum ab iis, qui officiis civilibus admovebuntur, modalitate praescripta (id est adhibita formula decretali) exigat.“ Confirmavit posteriorem hancce Intimati partem, aliud Intimatum diei 4. Maji an. 1778, quo praecipitur, ut si quis Acatholicorum in Judicem vel Consulem electus, jusjurandum in templo Catholico, secundum formulam decretalem dare obnueret, excluso homine tali, illico ad novam electionem procedatur. Neque vero suffecit Evangelicos Tredecim Oppidanos a throno novercale hocce odium experiri, ipsi Administratores provinciae Sedecim Oppidorum Scepusiensium, calamitatem eorum non parum augebant. Nam Paulus Tiszta quidem, Scholis, ut suo loco videbimus, inimicum se exhibuit: ejus autem, die 21. Oct. 1777 mortui, Successor, Antonius Klobussitzky, non tantum hac in re vestigia antecessoris persequebatur, sed etiam ceterum, qua ratione poterat, Evangelicis nocebat. Etenim Resolutiones regias ipsis utiles supprimebat, scripta quae ei credebantur ad thronum promovenda, detinebat, si ad opinionem

dandam provocabatur, sinistre referebat; Jussa Regia non promulgabat et tamen illa ex ignorantia migrantes plectebat. Cum itaque vexationibus hisce Tredecim Oppidani provocati, querelas suas libello supplici mense Februario an. 1780 Reginae exhibito proponerent: Regina interprete Consilio Regio Administratori Provinciae Sedecim Oppidorum Scepusiensium d. 16. Mart. 1780 mandavit, ut „in veritatem querimoniarum punctatim, ipsis querulantibus sufficienter auditis, praesente homine dioecesano indagaret," negotioque perfecto referret. Qua de re Nostrates edocti, Administratori seriem casuum specialium, injurias illis illatas comprobantium, reddiderunt. Sed adversa quoque pars fortiter bellum parabat. Legionem enim querimoniarum contra Nostrates conscripsit, Administratorique tradidit. Quae dum gererentur, Regina, prius quam causa haec expediri potuisset, d. 29. Nov. 1780 de vita migravit.

Melior esse coepit Evangelicorum in Tredecim Oppidis status, imperium capessente *Josepho II.* Imperatore. Sapienti huic principi Nostrates per Cancellariam, mense Octobri an. 1781 libellum supplicem proposuerunt, qua indicarunt: licet major sit Evangelicorum, Oppida inhabitantium numerus, et hi quatuor quintas partes onerum publicorum ferant, paucissimos tamen muneribus civilibus praefici, alios autem ad libidinem temereque ab iis removeri; simulari adesse regium Mandatum, de Judice vel Notario Catholico constituendo, a legationibus et judiciis ad rem religionis et Ecclesiae pertinentibus Nostrates excludi, ita ut in sua patria exsules habeantur; Scholarum Inspectorem Ladomirszkyum, sublatis Evangelicis ludis, etiam in iis Oppidis, ubi nulli propemodum sunt Catholici, Scholas nationales induxisse, earumque magistris stipendia, propria auctoritate ex aerariis oppidanis, non sine eorundem dispendio

solvenda constituisse; Administratorem Edicta Regia nec promulgare, nec Nostratibus communicare, multo minus tradere, unde fiat, ut Evangelici Tredecim Oppidani favore decretorum regiorum frui nequeant, ob violationem vero legum non vulgatarum, censurae subjiciantur suppliciisque afficiantur. Quare et his incommodis se liberari petunt et illis malis, quae anno superiori reginae per literas significarunt, medelam ferri supplicant. Imperator Intimato d. 14. Nov. 1782 rescribi curavit: cum querimoniae Catholicorum Acatholicorumque, Oppida Scepusiensia incolentium, partim per benignas, in causa religionis editas normales Resolutiones regias sponte sua cessaverint, partim alias superatae sint: Administratori earum Investigatione supersedendum esse. Per normales illas Resolutiones, quarum Intimato hocce mentio fit, intelligitur potissimum *Edictum Tolerantiale* diei 20. Oct. 1781, in Sessione Administrationis Sedecim Oppidorum d. 19. Decembris 1781 promulgatum. — Quoniam Edicto hocce Tolerantiali inter alia Evangelicis in Hungaria venia dabatur, Congregationes celebrandi: Nostrates quoque Tredecim' Oppidani, communem salutem curaturi, Igloviae convenerunt. Enimvero quod — ut praeceptum erat — neque Commissarium Regium expetiverint, neque materiem deliberationis prius indicaverint, ea propter delati, Intimato diei 7. Junii 1782 non modo taxabantur, sed etiam severe vetabantur amplius hujusmodi Congregationes aliter, quam impetrata permissione regia indicatisque tempestive consultationis momentis, celebrare. Alia tamen Intimati hujus pars magis erat fausta, ea nimirum, quae jubebat, ut si qui privatum religionis exercitium impetrare velint, consilium suum Comitatui vel Magistratui loci indicent, cujus auctoritate legati Catholici et Acatholici aequo numero deligendi, praesente homine dioecesano in numerum familiarum Protestantium inquirent, earum indicem relationi adnectent, et singulum quemque audient, quale subsidium seu in exstruenda ne-

cessaria aedificia, seu in alendos V. D. Ministrum et Ludimagistrum offerre velint. Relationem talem Intimatum hocce Excelso Consilio, cum opinione submitti praecipit, quod petentibus vel satisfaciet, vel preces eorum repudiabit. — Stolam quoque Josephus Imperator Pastoribus Tredecim Oppidanis lubens adjudicasset, si per Clerum licuisset. Sed quoniam hicce restitit, Edicto d. 6. Nov. 1783 eandem Parochis Romano-Catholicis ultra dissolvi praecipit.

Omnino autem dubio caret, Josephum Caesarem plura benivolentiae suae erga Evangelicos Tredecim Oppidanos exhibiturum fuisse documenta, si, ut volebat, semper facere potuisset. Sed ille ipse nimia Cleri potentia vim suam circumscriptam sensit et dolens animadvertit proverbium hocce: „Regis ad exemplum totus componitur orbis," ad se quidem et omnes homines imperio suo obnoxios, ratione aequitatis, quam nos in eos testari oportet, qui in rebus religionis non in nostram discedunt sententiam, transferri non posse. Patet haec dispar Dicasteriorum ratio a Principis sentiendi statuendique modo, vel ex Intimato Exc. Consilii ad Iglovienses d. 23. Aug. 1782 in causa Scholarum dimisso, in quo expresse asseritur, publicum religionis exercitium Tredecim Oppidanis non competere, partim ideo, quod annis 1604 et 1608 quibus Evangelicis in Hungaria liber sacrorum usus concedebatur Polonae obnoxii fuerint Jurisdictioni; partim ideo, quod publicum sacrorum jus, in Scepusio praeter liberas Regiasque civitates ad duo nonnisi loca Articularia sit restrictum; partim ideo, quod decretum Stanislai Heraclii Lubomirski diei 29. Julii an. 1694 quod Tredecim Oppidanis suffragabatur, urgente Leopoldo Imperatore anno eodem die 5. Sept. revocatum irritumque pronunciatum et per Theodorum Constantinum Lubomirski, omne prorsus sacrorum jus sublatum, atque nonnisi tempestate mo-

tuum Racocyanorum, privatum religionis exercitium permissum exstiterit.

Verum enimvero argutatione hacce nihil confici, veritatis amicus ultro largietur. Quod enim Tredecim Oppida anno 1604 et 1608 Polonis fuerint oppignerata, id eorum juri in publicum sacrorum usum obesse nequit. Nam primum quidem dubio caret, Tredecim Oppida unice qua civilem, non vero ecclesiasticam Jurisdictionem Polonis fuisse oppignerata. Deinde quamvis peregrino dominio subjacerent, semper tamen, ut Articuli Comitiorum nonus an. 1559, tertius an. 1600, undecimus anni 1659 manifesto docent, pro membris regni Hungariae habebantur. Praeterea Articuli Comitiorum anni 1604 et 1608, quibus Evangelicis in Hungaria liberum sacrorum jus permittitur, quamvis diserte Tredecim Oppida non nominent, certe illorum quoque rationem habent, dum religionis Augustanae Confessionis exercitium, per universum regnum Hungariae, *inclusis Superioris Hungariae civitatibus oppidisque*, publicum et liberum declarant. Accedit quod Palatinus Thurzo, Religionis, de quo famur exercitium, fundamento legum patriae anni 1608 et 1609, Diplomate suo, anno 1610 Viginti Quatuor Regalium Parochis concesso, Tredecim Oppidanis quoque confirmaverit. Insuper publicum religionis Tredecim Oppidanorum exercitium annis 1604 et 1608 longe est antiquius; jam enim anno 1560 et 1573 duo Archi-Episcopi Strigonienses, Nicolaus Olahus et Antonius Verantius, Confessionem Viginti Quatuor Regalium, quorum spectatissima pars Tredecim Oppidani fuere, probarunt et subsignarunt, eandemque duo quoque Imperatores, Ferdinandus et Maximilianus, confirmarunt. Denique ipsi quoque Capitanei Tredecim Oppidani, Libertates Evangelicis in Hungaria concessas, ad Tredecim quoque Oppidorum incolas pertinere et verbis, declararunt et factis ostenderunt, quia semper ita eosdem tractabant, uti in Liberis Regiisque Civitatibus Hun-

gariae Evangelici habebantur. Postquam enim post occupata anno 1674 in Tredecim Oppidis Templa, omniaque beneficia Ecclesiastica et Pastores in exsilium ejectos, longiori tempore venia carere debuerint numen publice ritu Ecclesiae Evangelicae colendi: princeps Stanislaus Heraclius Lubomirski, eis facultatem religionis exercendae — ut ipse declarat — fundamento Constitutionum Regni Hungariae — intelligit nempe proxime Articulum XXV Comitiorum anni 1681 — edictis an. 1682 et 1684 reddidit.

Profecto ipsi Capitanei Poloni, persuasum sibi habuerunt, Tredecim Oppidanis liberum sacrorum usum competere. Quod enim aliter si se haberet, Princeps Stanislaus Heraclius Lubomirski non potuisset ad Capitulum Scepusiense d. 29. Nov. 1698 rescribere: „se in causa religionis omnia violenta facta tanto magis reprobare, quod adsit Serenissimorum Regum, circa indemnitatem libertatis illorum, per Privilegia concessio.“ Ejusdem persuasionis suae documentum edidit princeps declaratione diei 13. April. an. 1701 in hanc sententiam facta: „Augustanae Confessionis populum in Tredecim Oppidis habere libertatem religionis a Regibus concessam, nec posse privari sine consensu reipublicae, ab usu exercitii sui.“ Idem sentiebat etiam Princeps Casimirus Ponyatowsky, qui Rescripto suo diei 12. Jan. 1768 pollicetur, „se Evangelicos Tredecim Oppidanos in usu illorum jurium et libertatum conservaturum esse, quibus vicinae civitates in Regno Hungariae gauderent.“ Jam vero vicinas has civitates publico religionis exercitio gavisas fuisse, liquido constat. Etiam Regina Maria Theresia eo agnovit, sacrorum jus Tredecim Oppidanis deberi, quod Resolutione d. 12. Febr. 1760 eis Scholas triviales concesserit, quas ad publicum religionis exercitium pertinere, ipsa declarat. Ipse postremo Tractatus Varsaviensis diei 18. Sept. 1773

de libero Tredecim Oppidanorum religionis exercitio Articulo Quinto cavit.

Quodsi nihilominus Capitanei Tredecim Oppidani instigationibus Cleri moti, interdum sese severiores in Tredecim Oppidorum Incolas Evangelicos exhibuerunt: tamen (ut eximie certe et vare Ponyatowsky in literis ad Episcopum Zbisko datis monuit) mox prudenti consilio a proposito, religionem Catholicam in Tredecim Oppida vi inducendi, abstinuerunt. Et prout abusus non tollit rectum usum: ita neque injuria Tredecim Oppidanis Evangelicis identidem illata, juris vicem ullatenus sustinere potest.

Praeter Intimatum hocce d. 23. Aug. 1782 parum Tredecim Oppidanis Evangelicis aliud Imperatum d. 4. Julii 1783 adridebat, quo coetus Tredecim Oppidani Evangelici ad usum priorem rationc horae, qua cultus divinus perageretur relegantur, ne divinis in utroque Templo eodem tempore obeundis, famulitium Catholicam a sacrificio missa abstrahatur. Ceterum incommodorum horum multis a Caesare cumulati beneficiis facile obliti sunt Tredecim Oppidani Evangelici.

Unum tamen erat, cujus amissionem magnopere dolebant; *Scripta Vinariensia* intelligo. Fraternitas quippe Viginti Quatuor Regalium Plebanorum, habebat scripta quaedam — Literas, Actorum Commentarios (Matriculas), Documenta, Privilegia — quae pulsis anno 1674 in exsilium Tredecim Oppidanis Pastoribus, et bonis eorum in publicum addictis, Christophorus Klesch, Georgio-Montanus Pastor, Fraternitatis Notarius, in Germaniam devexit et anno 1702 Vinariensi Ducali Bibliothecae ea lege intulit, ut si quando in Hungaria feliciora tempora redirent, Fraternitati restituantur. Haec igitur scripta Nostrates anno 1775 recuperarunt, et in Monte Sancti Georgii conservarunt. Octennio elapso Clerus Romano-Catholicus Administratorem Provinciae Sedecim Oppidorum Scepusiensium sollicitabat, ut scripta illa — quae ad Jura Parochiarum et Ecclesiarum suarum tutanda multum valere

posse opinabatur — Evangelicis erepta, ei resignaret. Enim vero cum Nostrates thesaurum hunc tradere tergiversaren tur, causa d. 26. Aug. 1780 ad Excelsum Consilium es delata. Quamvis vero Nostrates Jura sua fortiter tueren tur, impedire tamen non poterant, quin Excelsum Consi lium minimam nonnisi harum literarum partem iis linque ret, reliquam vero, partim Capitulo Scepusiensi, partim Tabulario Regni Comitatusque Scepusiensis, partim priva tis, Intimato 20. Dec. 1785, culpa potissimum Administra toris Klobussitzky addiceret, ad Consilium Regium sinistr referentis. Sententia lata, Nostrates minimum Matricula Golozianas salvare conabantur; sed frustra. Consilium Regium enim die 27. Jun. 1786 Capitulum in eis possi dendis confirmavit, inquiens: „nonnulla in Matricis hisc contenta objecta, actualem Capituli Scepusiensis possessori statum, concernere." Promisit quidem post anno 180 die 20. Augusti Serenissimus Princeps, Archidux Austria Josephus, Regni Hungariae Palatinus, dum Regnum pe agrans Igloviam veniret, Nostratium legatis, ad eum sah tandum missis, suam in scriptis Vinariensibus vindicandi operam. Sed quod Budam reversus nihil se consecuturu praevideret, Rescripto diei undecimae Octobris, se pr misso solvi voluit. Anno 1810 Districtualis Inspector, Gre gorius Berzeviczy, ne quidem veniam ex Matricis hisc excerpta ad Genealogiam pertinentia faciandi, ab Episcop Brigido impetrare poterat.

Leopoldus II. cujus interventu in Comitiis Posoni anno 179$\frac{0}{1}$ celebratis *Lex religionaris* condita fuit: just breviori tempore vixit, quam ut insignis ejus liberalitat et benivolentiae copiosis fructibus Nostrates Tredecim Op pidani satiari potuissent.

Cum legis religionariae auctoritatem *Franciscus qu que I. Imperator*, nunc gloriose regnans, confirmaverit beata foret Evangelicorum in Tredecim Oppidis conditi nisi Clerus et Fora obstarent. Hodiedum quippe nonnu

lis in oppidis Parochi Catholici, Introductionem Puerperarum Evangelicarum, in matrimoniis mixtis sibi vindicant, Directoratum Scholarum mixtarum — Libicae potissimum — ad se pertrahunt, sociatum campanarum usum Nostratibus negant, permittere nolunt, ut Nostrates eodem tempore publice pietati vacent aut funeri justa persolvant, quo Catholici divina sua obeunt. Neque desunt exempla postulationum, ut Nostrates, Catholicos Templa aliave aedificia Parochialia struentes vel instaurantes, gratuito operis manu curruque praestandis, sublevent. Accedit quod Nostrates ad honores altioris ordinis penes Incl. Administrationem aegerrime provehantur.

Ipse Rex optimus Tredecim quoque Oppidanis Evangelicis plura gratiae et benevolentiae suae dedit monumenta. Etenim Intimato d. 5. Nov. 1793 ad Administrationem Sedecim Oppidorum Scepusiensium dato, sanxit ut mulctae, quae opificibus irrogantur si illi Evangelici fuerint, aerario coetuum Evangelicorum inferantur. Praeterea Intimato d. 8. Oct. 1799 edixit, ut si quid ex aerario domestico civitatis, factis impensis publicis et praestita Ecclesiis Parochialibus Scholisque Romano-Catholicis rata parte, manet: etiam in Tredecim Oppidis, necessitatibus Evangelici Confessioni Addictorum habita capitum ratione et aerarii viribus, subveniatur; praeterea fundi quoque Coetuum Evangelicorum in Liberis Regiisque civitatibus atque Sedecim Oppidis Scepusii a tributo et oneribus civilibus immunes maneant. Denique Intimato 4. Dec. 1804 ad Administrationem Oppidorum Scepusiensium dato, V. D. Ministrorum filii, eodem cum parentibus victu utentes, a Conscriptione populari Ignobilium exemti, ad Classem Honoratiorum referri jubentur.

Locus secundus.

***Ratio Scholarum Evangelicarum in Tredecim Oppidis Scepusii ad civitatem et Ecclesiam Romano-Catholicam a prima earum origine usque ad annum* 1825.**

Florente Ecclesiarum ante persecutionis tempora statu, *Scholarum* quoque in plerisque Tredecim Oppidorum tam beata fuit conditio, ut Juvenes absolutis in iis literarum studiis, non humanioribus solum sed et Theologicis Philosophicisque, statim muneribus publicis admoverentur. Vigebant autem artes in Tredecim Oppidis, potissimum Igloviae, Varalii, Olassii, Filcaviae, Matthaeivillae, in Monte Sancti Georgii, Belae et Libicae, ubi disciplinae Theologicae et Philosophicae assidue tradebantur et tractabantur, atque disputationes quoque ex hoc doctrinae genere instituebantur. Nonnulla horum Oppidorum tres alebant Magistros, Rectorem — quod munus plerumque Viris deferebatur in Universitatibus Literarum exteris artibus imbutis, doctrina et eruditione claris — Collegam et Cantorem. Percipiebant autem Praeceptores Stipendia sua plerumque a Parochis, ex reditibus decimae. Ex ejusdem decimae fructibus, nonnulli Pastores certum quoque Juvenum, artes colentium numerum (Olassii viginti et quatuor) alebant.

Post ademta Templa aliquamdiu in Tredecim Oppidis Ludimagistri ferebantur. Sed jam d. 24. April an. 1675 Andreas Ludovicus Moschinsky, Vice-Capitaneus Lublo-viensis, imperavit, ut Ludimagistris Dissidentium ab Ecclesiis Tredecim Oppidorum relegatis, Evangelici Tredecim Oppidani, filios suos Catholicis Scholarum praefectis, in schola communi instituendos traderent, neque — ut decretum loquitur — eos institui permitterent, per alias subordinatas personas. Interim decretum hocce non ita

severe observabatur, ut non plura e Tredecim oppidorum numero Cantores alerent Evangelicos, qui — Capitaneis eorumque Vicariis conniventibus, — et in Schola quoque Oppidana juventutem instituebant, et in Templis Romano-Catholicis chorum moderabantur; inprimis post vulgata principis Lubomirski d. 29. Decembris an. 1682 et 20. Maji anno 1685 edicta, quae Tredecim Oppidani Evangelici ita interpretabantur, ut libertatem religionis exercendae iis concessam, etiam ad Scholas condendas referrent. Enimvero Clerus Romano-Catholicus, exiguum hocce beneficium miseris Evangelicis invidens, mox effecit, ut Michaël Rhiniwiczky, Canonicus Camenicensis Ablegatus et domesticus Praelatus Celsissimi Principis Lubomirski, Imperato d. 19. Aug. 1685 inter alia, quae Lutheranis in Tredecim Oppidis observanda imperabat, eos Catechismum Lutheranum habere et Rectorem atque Cantorem intertenere vetaret. Scholis hac ratione in Tredecim Oppidis prorsus abrogatis, parentes quibus facultates non deerant, natos suos ad extranea loca mittere coeperunt. His compertis Podolski principis Commissarius decreto 20. Julii 1699 eos, qui subolem in Scholis haereticis educarent, poena quinquaginta Imperialium affici jussit. Verum aequior Podolskio Princeps, Jussu suo diei 28. Aprilis an. 1700 pecuniosis integrum reliquit liberos suos extraneis ludis addicere. Contrarium fecit Theodorus Constantinus Lubomirski. Hic enim decreto 25. Junii an. 1717 Evangelicis veniam negavit, mittendi liberos extra Scholas Parochiales Catholicas.

Maria Josepha, Poloniae Regina, cui religio Evangelica summopere fuit exosa, Scholis quoque Acatholicorum inimicam se exhibuit. Patet id partim ex Administratoris Provinciae Sedecim Oppidorum Scepusiensium, Andreae Moszczenski, a Regina constituti, partim ex ipsius Reginae edictis et rescriptis. Moszczenski quippe decreto suo 20. Junii an. 1747 Scholas privatas Acatholicorum pror-

sus abolebat, poena carcerum et relegationis Praeceptori, duodecim vero Thalerorum, pro quolibet nato ad aerarium arcis Liblovieusis solvendorum, parentibus si praeceptum violarent, irrogata. Alio vero Rescripto diei 8. Julii an. 1753 sanxit: „ne Scholae Servitores alii, quam Romano-Catholici sint.“ Ipsa autem Regina Rescripto Dresdae die 2. Febr. 1748 edito declarat, nullam esse necessitatem Scholarum privatarum; aliis item edictis diei 6. Maji an. 1751 et 10. Maji 1752 nullos alios, quam Romano-Catholicos ad munus Docentum admitti jubet. Serius tamen a severitate hacce nonnihil recessit regina. Commemorato namque Administratori Moszczenski Rescriptis diei 4. Dec. an. 1753 et 22. Sept. 1753 demandavit, ut Acatholicorum Scholis indulgeret. Sed Alexander Marjasy de Markusfalva, Episcopus Tinniensis, Capituli Scepusiensis Praepositus, spreta reginae auctoritate, literis ad Tredecim Oppidorum Comitem, Joannem Barvulszky d. 15. Decembris an. 1753 datis, eundem monet, „ut Instructores Acatholicos, Scholas privatas habentes et juventutem instruentes in Oppidis, inprimis Belae, cum dispendio Scholarum Catholicarum, contra praxim et in obversum edictis Lubomirskianis, Mariaeque Josephae Poloniae Reginae introductos, sine mora, sub poena excommunicationis et denunciationis ex oppidis ejiciat et prorsus exterminet.“ Sed universus omnino Clerus Tredecim Oppidanus Rescripta Superiorum, Evangelicis propitia, consulto ignorabat, eorum vero, quae nobis noxia fuere observationem severissime urgebat. Hinc factum est, ut auctoritate Mandatorum, adversus Scholas Acatholicorum conditorum, usus, si qua in domo juventutem Evangelicam convenire observavit, eam congregatam saepius ex inopinato invaserit, ademtis eidem libris dissipaverit et fugaverit. Qua de re cum capessenti Capitaneatum Comiti Henrico a Brühl Tredecim Oppidani quererentur, atque potestatem Scholam condendi sibi concedi flagitarent: hic per Commissarium suum Podolski veniam

dedit Tredecim Oppidanis, „illis in locis, in quibus antehac habuerunt ludos, etiamnum Scholas erigendi, Ludimagistros servandi, linguas studiaque tam dogmatica, quam alia — trivialia utpote et altiora,— tradendi tractandique.“ Cum vero haecce Comitis liberalitas ei coram Judicio castrensi Sandecensi accusando ansam daret: Brühl non modo scripto publico innocentiam suam tuitus est, sed et causam arbitrio Reginae Hungariae, Mariae Theresiae, judicandam detulit. Coaluit hac ratione aulam Viennensem inter et Comitem Brühl, Libero Barone Petro Nicolao a Gartenberg Comitis nuncio intercedente, die 12. Febr. an. 1760 pactio, qua inter alia, Tredecim Oppidanis Scholae Triviales ad Grammaticam, pro erudienda eorum juventute concedebantur. Eadem Regina literis ad Episcopum Zbisco, infensissimum Scholarum Evangelicarum adversarium, die 12. Febr. 1760 datis, declaravit, „minus esse congruum Scholas triviales pro erudienda Acatholicorum in Tredecim Oppidis degentium juventute deservientes, impetere.“ Cum vero ne nunc Scholae illae manerent intactae: Evangelici Tredecim Oppidani Brühlio supplicarunt, ut impedimenta iis oblata removeret. Precibus his motus Tredecim Oppidorum Comiti, Tobiae Jony, Varsavia d. 10. Maji 1760 perscripsit: Evangelicis Tredecim Oppidanis, ut Scholas condant, concedi posse. (Die Anlegung der Schulen in meinem Namen zu erlauben.) In harum Scholarum usu sese Tredecim Oppidani, summa imperii ad Casimirum Ponyatowski delata, confirmati hac potissimum de causa flagitabant, quod Ludimagistri Scholis Catholicis praefecti et imperiti et desides essent et aliis occupationibus distenti, omne studium in juventute rite erudienda ponere non possent, et nimio rei Romanae studio obcoecati parentum Evangelicorum liberos precum formulis ritibusque Ecclesiae Pontificiae propriis, adsuefacerent. Enimvero Princeps d. 12. Jan. 1768 reposuit, se supplicantes in illis Juribus illaque conscientiae libertate

conservaturum esse, qua Evangelici in vicinis Hungariae urbibus gauderent, quaeve ipsis ab Imperatrice Maria Theresia concessa erant. Conservabant sese, ut poterant, afflicti Tredecim Oppidani in usu Scholarum suarum privatarum, ad annum usque 1770, diem 12. April. quo Ellstermann, Excubiarum Praefectus et Capitaneatus Scepusiensis Gubernator, Scholas Evangelicas publico-privatas (öffentliche Privat-Schulen) in Tredecim Oppidis, abolevit et docentes privatos dimitti jussit, privatis Informatoribus, qui singulorum parentum, singulos liberos, seorsim erudirent in salvo relictis. Quoniam decretum hocce et Capitulum Scepusiense, ut Grafius Tobias Jony vulgaret, literis ad eundem d. 19. Sept. 1770 datis postulavit et Casimirus Ponyatowski Rescripto suo d. 14. Aug. an. 1771 — urgente nimium eodem Clero Romano-Catholico — promulgari et observari jussit, declarans, „se Ellstermanni decretum comprobare, ordinationesque eo praescriptas ab omnibus teneri velle“: hinc factum est, ut Evangelici Tredecim Oppidani sese intra praestitutos privatae institutioni limites continere debuerint.

Capitaneatu Scepusiensi Regno Hungariae anno 1772 restituto, Tredecim Oppidani Evangelici Jura suae Ecclesiae et pactioni d. 12. Febr. 1760 confectae et Tractatui Varsaviensi d. 18. Sept. 1773 superstruentes: privatos liberorum Informatores suscipiebant alebantque. Sed Administratores Provinciae Sedecim Oppidorum Scepusiensium, Paulus Tiszta et Antonius Klobussitzky, Clero, ut Edictis Ellstermanni d. 12. April. 1770 et Ponyatowskii d. 14. Aug. 1771 inhaererent concitante et instigante, omnia summa fecerunt; ut Evangelicam pubem beneficio institutionis in literis et artibus privarent. Quare ille quidam Popradini d. 2. Jun. 1773 et Olassii d. 9. Maji 1774 Scholas privatas prorsus abolevit: hic autem — priori d. 21. Oct. 1777 mortuo, surrogatus — per universa Tredecim Oppida Scholis Evangelicis gravissima impedimenta,

ab anno inde 1778 inferebat. Facere id tanto animosius poterat, quod Regina Maria Theresia, partim Scholas publicas nonnisi Articularibus locis, in quorum numero Tredecim Oppida non habebantur adstrictas esse vellet, partim quod Scholas normales, quas uniuscujusque religionis et Confessionis parvuli adirent, per universum Regnum introduci optaret. Posterius hocce consilium Reginae secundaturus Klobussitzky, anno 1780 mense Febr. cum Regio Scholarum Nationalium Districtus Cassoviensis Inspectore, Stephano Ladomirszky, omnia Sedecim Oppida provinciae Scepusiensis peragravit, atque ex eorum singulo, pro ratione indigentiarum unum alterumve virum Leutschoviam, normalis in instituenda juventute, methodi percipiendae gratia, mitti jussit, Salaria Rflorenorum 100 docentibus constituit, hospitia denique Magistris parari, et Scholae aedificia, ubi necessum videbatur, ita ampliari jussit, ut discipulis omnibus, sine religionis discrimine capiendis, sufficerent. Ita Scholae Evangelicae tacite fuerunt abrogatae.

Plus favoris ratione Scholarum sibi Evangelici Tredecim Oppidani pollicebantur, dum Maria Theresia e vivis sublata, Josephus Imperator solium conscenderet. Sed hic quidem spes eos fefellit. Josephus enim, princeps alioqui aequissimus, quod omne odium ex animis hominum diversam religionis formulam sequentium exstirpare vellet: consilium autem hocce Scholis communibus introducendis certissime sese asseecuturum speraret, diu et ipse propriis Evangelicorum Scholis adversabatur. Dedit quippe Edicto Tolerantiali vicis urbibusque, quae centum familias numerarent, potestatem Scholas condendi et Praeceptores suscipiendi. Sed postquam Tredecim Oppidani Evangelici potestate hacce uti coepissent, varie in illius exercitio restringebantur. Etenim primum Intimato d. 8. Martii 1782 Oppida Rusquini et Durandi, quod proprias, ab introductis Scholis normalibus, diversas, Scholas condiderint, iisque

Praeceptores praefecerint: illico ludos hos claudere ju
bantur. Brevi post Excels. Consilium Intimato 25. J
(per Administrationem d. 23. Aug. promulgato) ad Ig
vienses dato, quamvis Evangelicis Tredecim Oppid
publicum religionis exercitium et quod ei conjunctum
Scholarum habendarum licentiam competere negaret: c
sensit tamen in peragendam investigationem, num coe
necessarium familiarum numerum, et in solvendos magist
sumtus sufficientes habeat. Quoniam vero ex instituta
28. et 29. Aprilis 1783 quaestione patebat Oppidum
necessarium familiarum numerum et in alendos magist
10,525 Florenorum et 17 crucigerorum summam hab
Iglovienses mox supplicarunt Scholas sibi concedi. Ex
vero Excels. Consilium Regium Intimato d. 20. Junii 17
ad Iglovienses dimisso declaravit: „Stabilitis Scholis n
malibus distinctarum Scholarum trivialium Acatholicar
nullam adesse necessitatem, quare juventutem ad Sch
illas normales mitti praecepit; permisit tamen suscipi C
torem, qui parvulos in cantu exercitaret et V. D. M
strum, cujus est Catechismum docere, si ille oneri h
ferendo non sufficeret, in juventute religionis doctrina
pertienda sublevaret.“ Eodem Intimato Igloviensibus
cium imponebatur collectam 10,525 Rflorenorum, 17 c
cigerorum summam iis, qui eam congesserunt, restitue
Accepto Intimato hocce, Iglovienses jura Ecclesiae s
tutaturi, convocatis coetuum Tredecim Oppidanorum Ev
gelicorum nunciis, Igloviae d. 2. Julii 1783 libellum s
plicem conscripserunt, Imperatori, Regnum peragr
biduo post Szomolnokini tradendum. Libello hocce p
mum Assertum Exc. Consilii Tredecim Oppidanis public
religionis exercitium atque Scholas, neque lege, ne
usu — quippe qui auctoritate publica saepe prohibi
per intervalla temporis plane abrogatus imo et brac
per Jurisdictionem publicam adhibito, vetitus fuit — c
petere sub censuram vocant et prorsus evertunt: dei

se ad classem vicinorum locorum Articularium, maxime liberarum Regiarumque Civitatum speciali Resolutione Regia reponi et in publico religionis exercitio, nec non Scholarum, Igloviae quidem altiorum quoque, in reliquis vero Oppidis minimum trivialium usu, conservari petunt. Verum eodem die, quo libellum huncce Imperatori Szomolnokini exhibuerunt, quarta nimirum Julii, dimissum fuit per Administratorem Sedecim Oppidorum Scepusiensium Excelsi Consilii Intimatum, quo nonnulla Oppida, nominatim Durandi- et Rusquinivilla, quod „via facti docentes introduxerint“ severe taxantur, „primipili actione fiscali conveniri et juventus tam horum, quam et reliquorum oppidorum ad praeexistentes in loco vel proxima vicinia normales scholas mitti,“ jubentur. Intimatum hocce occasionem dedit Congregationi Igloviae d. 29. Jul. celebrandae, in qua coetuum Tredecim Oppidanorum nuncii libellum supplicem composuerunt, quo primum declarant Tredecim Oppida normaliter praescriptum familiarum numerum habere, sumtibus, alendis docentibus non destitui, Magistris Catholicis, qui teneram juventam oratiunculis et caerimoniis Catholicis adsuefaciunt, liberos suos credere non posse, multum emolumenti familiis singulis et eo publicae quoque saluti accessurum, si parentes necessitate soluti fuerint, sumtuosam in peregrinis locis liberis suis procurare educationem; deinde beneficium Scholarum sibi concedi tanto magis flagitant, quod favore hocce vel ipsi Judaei Intimato d. 31. Mart. 1782 ornati fuerint. Enimvero Consilium Regium d. 6. Nov. 1783 rescripsit, „a continuandis distinctis Scholis trivialibus abstinendum, juventam ad Scholas normales, quae exstant, mittendam, et 10,525 Florenorum, 17 crucigerorum summam in gremiales Scholas normales, impendendam, Regiae Administrationi resignandam esse.“ Cessit tamen postremo iteratis precibus Caesar, atque Intimato 22. Martii 1784 Igloviensibus absolutam Scholarum trivialium fecit potestatem, Scholas

tamen altiores negavit et collectam earum causa summam Scholis trivialibus et normalibus utrique religioni communibus, rectius instruendis adhiberi praecepit. Quod reliqua vero Oppida sanxit, ut beneficium Scholarum Trivialium salvis scholis normalibus coetibus illis admitteretur, qui essent Magistro solvendo, et providendis citra facultatum dispendium Scholis normalibus. Quare Libicensibus e aere alieno non laborantibus, Scholae sine difficultate concedebantur, Belensibus, Durandivillanis, Menhardensibus et Rusquinensibus negabantur, quoad reliqua vero Oppida imperabatur, ut peracta, adhibitis legatis, (vulgo Deputatis) Evangelicis investigatione, ratione familiarum numeri et sumtuum, renunciaretur. Majorem laetitiam Tredecim Oppidanis attulit Intimatum d. 27. Sept. 1785, quo Evangelicis copia facta fuit Scholas, ubi nullae essent erigendi, ubi Schola catholica aderat, recipiendae toti juventuti par, haec prae ceteris retineri jubebatur, si vero propter copiam juventutis, duae Scholae necessariae essent, et incolae diversam religionis formulam sequerentur, tum altera quidem Catholicis, Acatholicis altera admittebatur. Huic Resolutioni innixi Tredecim Oppidani Scholas introducere coeperunt, Docentibus in methodo normali ante institutis. Intimatum hocce exceperunt mox alia nobis non inutilia, velut d. 24. Jan. 1786, quo coetus Evangelici ab alendis Ludimagistris Catholicis in illis locis liberi pronunciantur, in quibus mixtae Scholae introduci non possunt; item Intimatum d. 18. April. 1786, quo ut Scholae mixtae augeri possent, earum curam Viris sacri ordinis deferri non posse edicebatur, atque nonnisi iis in locis Scholarum inspectio sacris curionibus permittebatur, in quibus altera confessio nullos haberet sodales; tum Intimatum d. 20. Febr. 1787 quo Ludimagistro a Superintendente explorato testimonioque dexteritatis instructo, venia dabatur in coetuum concionibus orando praeeundi et pro concione quoque dicendi, praeterea Intimatum d. 24. Oct. 1787, quo coetus

illi qui Obligatione alendi Ludimagistrum Romano-Catholicum erant soluti, vel ad suscipiendum Ludimagistrum propriae Confessionis adigi vel ad introducendas mixtas Scholas exstimulari jubebantur. Intimatis hisce convenienter Franciscus Kazinczy, Regius Scholarum Nationalium per Districtum Cassoviensem Inspector, an. 1787 et sequentibus in Tredecim Oppidis Scholas nationales mixtas introducere tentabat, sed eventu minus prospero. Etenim nonnisi tria Oppida — Villa Latina, Libica et Mons Sancti Georgii — in conjunctionem hancce consenserunt.

Ceterum quamvis Scholae Evangelicorum in Tredecim Oppidis ab ademptis anno 1674 Templis et Pastoribus exsilio mulctatis, usque ad legem religionariam an. 1790/1 latam, saepius turbarentur, prorsus tamen nunquam erant sublatae. Etenim severissimis Mandatis et Interdictis, quibus Nostrates Scholis prohibebantur, non obstantibus, plura oppida hoc minimum beneficium habebant, quod formandae in Scholis Oppidanis publicis juventuti, Docentes Evangelici, quorum institutione juventus evangelica utebatur, fuerint admoti. Alia autem Oppida non obstantibus Interdictis, Magistratu civili connivente, alebant Praeceptores prolis suae, quod vel ex crebris hanc in rem prolatis Cleri querimoniis patet, qualis v. c. fuit querela Praepositi Scepusiensis Alex. Mattyassowszkyi, qui Evangelicos Tredecim Oppidanos anno 1695 coram Lubomirskio accusat, quod haereticis Ludimagistris in erudienda juventute utantur; item Zbiskii, qui eadem de causa d. 5. Febr. 1759. coram Judicio castri Sandecensis intercessit. Praeterea quamvis generalibus Edictis Tredecim Oppidani Scholis interdicerentur: tamen nonnullis Oppidis a lege universim valitura exemtis, venia dabatur Scholas proprias inducendi; quo favore Theodorus Constantinus Lubomirski Iglovienses et Belenses (anno 1731) ornavit.

A condita — vel instaurata potius — an. 1790/1 lege religionaria, qua Evangelicis plenum Scholarum jus tribui-

tur, nihil propemodum evenit, quod solas Tredecim Oppidanas Scholas seorsum concerneret. Schola publica communi, in qua altiores disciplinae traderentur tractarenturque Senioratus Tredecim Oppidanus caret: habent tamen omnia ad hunc Senioratum pertinentia Oppida Scholas proprias publicas, in tribus Oppidis, ut supra observavimus nationales mixtas. Juvenes ex Tredecim Oppidis orti, qui artibus disciplinisque amplius instrui cupiunt, adeunt Gymnasia et Lycea majora, prope longeque distantia, imo et institutum Theologicum Viennense, in iisque omnibus fruuntur commodis, quae ibi suppetunt.

Caput secundum.

Ratio coetuum Evangelicorum in Tredecim Oppidis ad se invicem suumque Ecclesiasticum Magistratum, a prima Origine usque ad anno 1825 *peractam Ecclesiarum in Oppidis his Canonicam Recensionem.*

Locus primus.

A prima coetuum Evangelicorum, Tredecim Oppidanorum Origine, usque ad Templa an. 1674 *ademta et Pastores exilio mulctatos.*

Ecclesiae, quae nunc *Tredecim Oppidanum Senioratum* constituunt, pertinebant — Michaëlis - et Matthaeivillana, quae Fraternitati Superioris fluvii Poprad erant adscriptae, exceptis — ad annum usque **1674** *ad Fraternitatem Viginti Quatuor Regalium* Plebanorum Terrae Scepusiensis, antiquissimam, quae jam anno **1223** coaluit anno **1298** Quintofori renovata et confirmata fuit. Gaude

bant vero Parochi Viginti Quatuor Regales peculiaribus Juribus et Privilegiis, utpote jure testandi, immunitate ab oneribus civilibus et potestate frugum campestrium decimas exigendi.

Habebat Fraternitas Viginti Quatuor Regalium Parochorum praeter *Seniores*, qui liberis suffragiis in Congregationibus Fratrum eligebantur, etiam tres, extremo vero ante exsilium decennio, quatuor *Con-Seniores;* duos quippe ex Tredecim, unum ex Undecim Oppidis et unum ex Nobilibus, sub quibus paganae Ecclesiae intelligebantur. Hisce coetuum praefectis accesserunt: *Oratores et Tutores,* — qui semper Parochi Olassenses erant et vulgo os Fraternitatis vocabantur — et postremo tempore *Actuarium* quoque, quem *Notarium* appellare magis solemne est.

Seniorem legibus (statutis) antiquissimis convenienter quotannis eligi oportuisset novum: evenit tamen plerumque, ut duobus, tribus et pluribus annis in dignitate sua confirmaretur.

Fratres in universum redituum ratione, in *Majores, Sub-Majores, Medios et Minimos* seu *Ultimos* distribui solebant. Ad Majores referebantur: Leutschoviensis, Olassensis, Váraliensis, Igloviensis, Libicensis et Belensis. Sub-Majoribus accensebantur: Popradensis, Georgio-Montanus, Menhardensis, Isacivillanus, Filcaviensis et Lomnicensis. Mediis adscribebantur: Compositivillanus, Quintoforensis, Villarum Ursi, Durandi et Hunis atque Odorinensis. Infimis seu Ultimis adnumerabantur: Mühlenbacensis, Eulenbacensis, Suevivillanus, Palmensis, Rusquinensis et Quirinensis.

Conventus seu Congregationes, quibus soli Plebani, exclusis civilis ordinis viris interfuere, indicebat Senior, usitate bis, vere et autumno — quae posterior Congregatio generalis esse solebat — necessitate poscente saepius etiam, alio semper oppido vicove concioni adsignato. Seniori Praesidenti antiquis temporibus proxime ii adsidebant, qui

reliquos aetate superarunt. Sed jam in Congregatione Belae d. 21. Nov. 1624 habita, nonnulli Fratrum dignitatem suam a reditibus splendidaque paroecia metientes, hujus rei ratione habita, locum sibi tribui petebant. Pertractabantur in Congregationibus hisce, praemisso cultu divino cum Oratione sacra, causae matrimoniales, iniebantur consilia de praecavendis vel propulsandis periculis et salute coetuum juvanda, exercebatur disciplina Ecclesiastica, tum in Fratres (v. c. Zachariam Pickl, Pastorem Rusquinensem, Danielem Sturm, Pastorem Popradensem etc.) quam et in Paroecos; recipiebantur Fratres Novitii in Societatem, qui sese satis probarunt, exigebantur collationes pecuniae in censum cathedraticum et alias impensas, referebantur Rationes, praelegebatur Confessio et Statuta Fraternitatis. Postrema Congregatio, ante Pastorum exsilium Menhardivillae d. 22. Nov. 1673 celebrabatur, in qua inter alia promulgatum fuit Magistratus Libloviensis Mandatum, Capitulo Scepusiensi urgene confectum, de extraneis, id est reliquorum, praeter Tredecim Oppida per Scepusium Ecclesiarum Evangelicarum, jam Templis et Pastoribus privatarum civibus, ad conciones et sacramenta non admittendis.

Commentarii in Congregationibus hisce Actorum, referebantur per ipsos Seniores in Codices peculiares, quorum antiquissimus Menhardivillae una cum reliquis Fraternitatis Privilegiis et Documentis intra annum 15[illegible] et 1551 flammis periisse videtur; tres vero aetatem tulerunt. Horum primus est: *Matricula Viginti Quatuor Parochorum Regalium Molleriana*, ab anno 1520 usque 1606 scripta, cujus autographon Ecclesia Evangelica Kesmarkiensis possidet, Habet titulum hunc: Liber seu Registrum Fraternitatis Venerabilium Dominorum Viginti Quatuor Plebanorum Regalium in Sceptis, in se continens Recepta, Data, Exposita, Acta ac omnia Facta ejusdem laudabilis Fraternitatis etc. ab anno 1520. Alter *Matricula Viginti Quatuor Regalium Golcziana nova*, an. 1[illegible]

scribi coepta, quae hanc gerit Inscriptionem: Codex novus Accepti et Expensi, Factorum et Consiliorum praecipuorum Venerabilis Fraternitatis Viginti Quatuor Pastorum Regalium in Scepusio, inchoatus a Magistro Joachimo Golczio Dragenburgensi Marchico, Pastore Ecclesiae Dei, quae est Novocomii, tum temporis Seniore an. 1606. Tertius Matricula *Tredecim Oppidorum, quam M. Joach. Golcz anno* 1604 *inchoavit*, successores ad annum usque 1674 continuarunt. Ejus titulus est: Matricula Tredecim Oppidorum seu Codex Accepti et Expensi, Actionum item et Molestiarum Gravaminumque Pastorum Tredecim Oppidorum in Scepusio, confectus et incoeptus a Seniore M. Joach. Golczio, Pastore Iglovicnsi, anno 1604 ad an. 1673. Ejus ut et prioris autographon, in Tabulario Capituli Scepusiensis delitescit.

Fratres Novitii rarissime in Fratrum gregem recipiebantur ad primam petitionem. Adtribuebantur vero Fratrum gregi ita, ut *Jusjurandum* in hanc sententiam dicerent: „Ego N. N. juramento me obstringo, quod vocationi meae ecclesiasticae diligenter praeero; item scandala publica et privata ne Ministerium Verbi Dei propter me male audiat, fugiam; item Domino Seniori nunc temporis constituto et ejus successoribus legitime ad hoc officium vocatis, fidelis et obediens ero; item secreta fraternitatis nemini pandam; item statuta Fratrum pia ac licita inviolabiliter observabo; item honorem et profectum Fraternitatis pro meo posse promovebo et procurabo. Sic me Deus ipse altissimus adjuvet. Amen.“ Sacramento praestito Pastor societati Fratrum adscriptus, nomen Albo, Confessionem Fidei Christianae Ecclesiarum Scepusiacarum, quae usitate Viginti Quatuor Regales vocantur, continenti, inscripsit. Hunc in coetum Fratrum recipiendi modum subversuri quatuor Novitii: Varaliensis Jacobus Wagnerus, Compositivillanus M. Conrad. Gera, Quintofonensis N. N., et Odorinensis Stephanus Trebnitzerus, pro-

prio arbitrio a Fraternitate se avulserunt, multorum Fr trum monitis spretis. Hanc indignitatem cum reprobare Fratres reliqui, ejus causae in Capitulo Scepusiensi inte cesserunt (protestati sunt). Recepti fuerunt post in So cietatem M. Lumnicii d. 6. Julii 1599 in domo Joani Hertelii.

Fraternitas Viginti Quatuor Regalium Plebanorum Praeposito Capituli Scepusiensis — Parocho Olassi excepto — subjecta, etiam post Tredecim Oppida Re Poloniae oppignerata, salva perstitit perduravitque Tredeci Oppidanorum Pastorum conjunctio Ecclesiastica, etiam c vili consociatione soluta, quamvis non defuerint, qui ja circa annum 1613 et post an. 1645 avulsionem Undeci Oppidorum a Tredecim Oppidis, potenter suaderent Abivit autem laudata Viginti Quatuor Regalium Plebano rum Catholicorum Fraternitas in Fraternitatem Parocho Evangelicorum, neque subita aliqua mutatione, neque v lenta rerum conversione, sed sensim et tacite. Iidi quippe nonnisi singuli Pastores, sacra per Lutherum em data, assensu suo probarunt, quod reliqui — si pri motus exceperis, causa Georgii Leudischer, primum a Li bicensibus an. 1542, deinde a Mühlenbacensibus an. 15 cooptati, excitatos — ita dissimulabant, ut in societate s etiam a formula Pontificia alienos ferrent. Postquam ve major Pastorum numerus ad Lutheri placita inclinasset hi reliquos quoque strenuos Papismi defensores e soci tate sua non excludebant. Unde sponte sua intelligitu primis post acceptatam in Tredecim Oppidis formulam Luthero constitutam temporibus, magnam et in forma d cendi et in ritibus, in singulis Tredecim Oppidanis E clesiis obtinuisse dissensionem varietatemque, atque i uno quidem coetu plura, pauciora in altero ex Papism fuisse retenta, prout vel Parochi magis aut minus ad sple dorem in sensus incurrentem in sacris obeundis serva dum inclinabant, vel coetus ipsi, caerimoniarum imagin

ompaeque solemnis, plus minusve fuerant amantes. Emortis pedetentim Parochis formulam Romanam firmiter teentibus, quo et majorem in doctrina ritibusque sacris onsensionem producerent Fratres, et sese contra impetus lversariorum praemunirent, anno 1558 decreverunt, „se Confessione, Augustanae congrua, a Leonhardo Stöckelio lelanthonis discipulo, Bartphensis Scholae Rectore, pro uinque Civitatibus Regiis Superioris Hungariae conscripta, quam Eperiessini Stephano Bardala (Sbardalat), piscope Vaciensi, et Gregorio Sibrik, Regio Consiliario, a. 1549 redditam, Rex Ferdinandus I. eodem anno proavit adquiescere velle.“ Ceterum in ipsa forma et oeconomia fraternitatis, facto a sacris Romanis ad Evangelica ansitu, propemodum nihil mutatum est, ipseque Praepotus Capituli Scepusiensis mansit supremus, in rebus ecclesiasticis Fraternitatis Magistratus, cui pro tutela nunc noque Pastores Evangelici *Censum cathedraticum* sexainta vel uno supra sexaginta aureis constantem, solveant, adnexa tamen ab an. inde 1612 saepius conditione, t idem Praepositus Fraternitatem contra injurias et opressiones cujuscunque generis defendat. Praepositi pleumque amice tractabant Viginti Quatuor Regalium Paores, ita ut eos Filiorum et Honorabilium atque Venerabilium Fratrum titulis dignarentur, pro conservandis eorum uribus apud Reges Hungariae intercederent (quod prae liquis Blasius an. 1555, et Bornemissza an. 1572 fecent) eis denique, quamdiu Confessionem Augustanam firiter tenuerint, tutelam promitterent. Si vero Praepositi i interdum asperiores sese exhibuerunt, mox prudentia, ox animositate, mox donis Pastorum placabantur.

Faventibus ita ab l'extra rei Evangelicae temporibus, e rebus suis interne firmandis, solliciti fuerunt Tredeim Oppidorum Evangelici Pastores. Hunc in finem non mplius contenti Confessione fidei a Stöckelio conscripta, mo 1560 per Nicolaum Olahum, Archi-Episcopum Stri-

goniensem, et Antonium Verantium, Episcopum Agriensem, confirmata, in Congregatione die 14. Dec. 1568 in Villa Compositi habita, *Valentino Megandro* Iglioviensium et *Cyriaco Obsopaeo*, Varaliensium Pastori, olim Philippi Melanthonis et Stöckelii assiduo auditori et genuino Sectatori, negotium crediderunt scribendae in usum Viginti Quatuor Regalium Parochorum peculiaris *Confessionis Fidei*, in Synodo insequenti anno, Praeposito jubente celebranda, eidem, amoliendae a cervicibus suis, haereseos criminationis ergo, in manus dandam. Confessionem hanc paratam, duumviri illi, auctores ejus, congregatis d. 2 Oct. 1569 Menhardivillae Fratribus tradiderunt; hi autem publice praelectam, quod verbo dei et Evangelio Jesu Christi consentanea esset, adsensu suo probarunt et cistae Fraternitatis recondiderunt. Nacta est Confessio haec in Consessu Fratrum d. 8. Jan. 1573 Igloviae praelecta et per praesentes subscripta, a Confessione Quinque Liberarum Regiarumque Civitatum, quam imperator Ferdinandus probavit, verbis non sententia diversa, vim et auctoritatem, postquam eandem Antonius Verantius, jam ad ampliores Archi-Episcopi Strigoniensis honores provectus Eperiessini, ubi in Judiciis octavalibus versabatur, an. 1573 denuo confirmasset, et Universitas quoque Nobilium Comitatus Scepusiensis in Generali Congregatione anno 1573 celebrata, probasset. Ut vero praecaveretur, ne Symboli hujus, ita sanciti, auctoritas, novis adoptandis symbolis minueretur atque discordiarum semina spargerentur: Senior Hortensius anno 1582 Fratres Igloviam coëgit, ubi conjunctis sententiis decretum fuit, „repudiata Formula Concordiae solam Augustanam Confessionem a Ferdinando et Maximiliano Imperatore, atque Olaho et Verantio Archi-Episcopis probatam, retinendam esse;" quae sententia etiam in Congregatione Quintofori, eodem anno, Festo Cinerum habita, stabilita fuit. Ceterum ne Confessio, de qua fama, anno 1569 cistae Fraternitatis inclusa, injuria temporum

interiret, M. Antonius Plattner, Fraternitatis Senior, eam libro inscriptam, qui rubro corio obductus, etiamnum in Tabulario Seniorali superest, Fratribus an. 1590 die 8. Nov. Isacivillae congregatis, in perpetuae memoriae et amicitiae pignus obtulit, eo declarato, optare se, ut non tantum Pastores, qui tum vivebant, sed et eorum successores, si praestita fide jurata in Fraternitatem reciperentur, eandem subsignarent. Huic sententiae Fratres ita accesserunt, ut non modo praesentes in institutum hocce consentirent, sed et morem hunc usque dum Fraternitas anno 1674 evanesceret, ad posteros quoque propagarent. Cum vero fama percrebesceret, Martinum Petheö, Archi-Episcopum Colotsensem et Praepositum Scepusiensem, jussu Regis in Scepusio Ecclesias visitaturum esse: M. Joachimus Goltz Senior, coactos in Villa Hunis in diem 19. Nov. 1603 Fratres excitabat hortabaturque, ut semper vigiles, persecutionem, si quae suscitaretur, patienter et fortiter tolerarent, atque veritati constanter adhaererent, nec exsilium, nec mortem reformidantes. Periculo — post fortiter repressos Varalii, Olassii et Leutschoviae nefarios adversariorum conatus — evanescente, idem Joachimus Goltzius, Fratribus d. 23. Nov. 1605 Neocomium convocatis, leges nonnullas, quarum observantia ad dignitatem muneri sacro conciliandam, obtrectatorum calumnias confutandas et jura coetuum sacrorum servanda, plurimum conferre posset, proposuit. Auditis Fratribus, in eo coalitum fuit, ut partim ex veteribus Statutis, Quintofori anno 1298 conditis, quae superstitione vacarent, retinerentur, partim nova sancirentur, atque ab hoc tempore publice in quavis Congregatione praelegerentur. Huic decreto convenienter, in Congregatione Libicensi, d. 7. April. 1607 instituta, *Statuta Fraternitatis vetera et nova* lecta probataque sunt. Praeterea quo magis adhuc fortunis Evangelicorum in hacce Sub-Carpatica ora consuleretur, adnuente et

consentiente Georgio Thurzo, Regni Hungariae Pro-Reg
Varalii Synodus, vicesima secunda et insequentibus Janu
diebus an. 1614, Christophoro Thurzo (Palatini Fratre, Con
tatuum Scepusiensis et Sarossiensis Supremo Comite) Pra
side celebrabatur, legendi potissimum Superintendentis gr
tia, qui ageret, ut doctrina Evangelii pura, secundum A
gustanam Confessionem Invariatam et Concordiae form
lam servaretur, quique moribus et vitae V. D. Ministr
rum inspiceret, Candidatos Ministerii ordinaret, Pastor
et Parochiarum, Scholarum et Redituum curam geren
Verum enimvero praeclarum hocce consilium in regua
coetibus eorumque praefectis harum partium, bonum o
dinem introducendi et tenendi, Capitaneus et Vice-Ca
taneus Tredecim Oppidorum Scepusiensium eo eluseru
quod M. Stephano Xylandro in Superintendentem Eccl
siarum Oppidanarum et Paganarum Comitatus Scepusien
et Sarossiensis electo, potestatem provinciam Superinte
dentis administrandi pertinaciter negaverint.

Ordines sacros suscipiebant Tredecim Oppidorn
Pastores eorumque Diaconi — quibus pauci careba
nonnulli vero, duorum, imo, ut Olassensis, trium quoq
opera ita sublevabantur, ut iis ex fructibus decimae S
pendia suppeditarent — a primordiis rei Evangelicae
Scepusio usque dum solum vertere cogerentur, mox Vit
bergae, mox Brigae (ubi tamen nulli erant Superinte
dentes, sed solum Pastores et Diaconi), mox in aliis lo
exteris, in ipso denique regno Hungariae maxime a S
perintendentibus Quinque Liberarum Regiarumque Civit
tum, Superioris Hungariae. — In universum ab anno 15
— 1610, 241 vel adeo 249 Hungari in munus sacru
Vitebergae inaugurati fuerunt.

Fraternitas Viginti Quatuor Regalium, si *argente*
scyphum et tria *sigilla*, quorum unum argenteum er
excipias, nullum habebat peculiarem thesaurum. Ad a
rarium Fraternitatis tantum conferebant Fratres, quant

communes necessitates et indigentiae requirebant. Praeter hasce communes pecuniae collationes, pro ratione redituum singuli cujusque finitas, Fratres in consortionem recepti, dum nomina Albo inscribebant, ex Statuto 9. Nov. 1580 unum, ab anno vero 1620 quinque Florenos solvere tenebantur. Accessit praeterea Fisco Fratrum nonnihil ex mulctis, quas ii solvebant, qui vel vitio quopiam sese contaminarunt, vel sine causa sufficienti in Congregatione Fratrum comparere neglexerunt.

Ad literaria Fraternitatis Viginti Quatuor Regalium monumenta et documenta haec pertinebant.

1. *Matricula vetus, vulgo Molleriana,* anno 1520 a Laurentio Jodoci Hyldebrand de Wogendröszel, tum Plebano in Iglo, scribi coepta. Habet titulum: Liber seu Registrum Fraternitatis Viginti Quatuor Regalium Plebanorum in Scepus in se continens Recepta, Data, Exposita, Acta, ac omnia Facta ejusdem laudabilis Fraternitatis, ordinatum per Honorabilem Dominum Laurentium Hyldebrandi de Wogendröszel, pro tunc Plebanum in Iglo et Seniorem Fraternitatis ab anno 1520.

2. *Matricula recens anno* 1606 *inchoata a M. Joachimo Golczio Dragenburgensi Marchico*, Pastore Igloviensi. Ejus Inscriptio est: Codex novus Accepti et Expensi, Factorum et Consiliorum praecipuorum Venerabilis Fraternitatis Viginti Quatuor Pastorum Regalium in Scepusio, inchoatus a M. Joachimo Golczio, Dragenburgensi Marchico, Pastore Ecclesiae Dei, quae est Neocomii, tum temporis Seniore a. 1606. Est prioris continuatio.

3. *Matricula Tredecim Oppidorum*, *quam idem M. Joach. Golcz an.* 1604 *inchoavit*, successores in Senioris dignitate, ad annum usque 1674 continuarunt. Continet historiam rerum memorabilium civilium et ecclesiasticarum, ad Tredecim Oppida pertinentium. Ejus index est: Matricula Tredecim Oppidorum seu Codex Accepti et Expensi Actionum item et Molestiarum, Gravaminum-

que Pastorum Tredecim Oppidorum in Scepusio, confectus et incoeptus a Seniore M. Joachimo Golczio, Pastore Iglowiensi anno 1604 ad annum 1673. Delitescit ut et prior in Capituli Scepusiensis Tabulario.

4. *Codex Chronologicus* Joannis Jantschii, Liptsche-Zoliensis, Pastoris Igloviensis, liberalitate comparatus a M. Stephano Xylandro scriptus.

5. *Liber continens Privilegiorum Transsumta.*

6. *Quatuor libri in Quarto*, quorum duo Confessionem Fraternitatis Imperatori et Regi Ferdinando a. 15.. exhibitam et nomina Pastorum, qui ei subscripserunt, alii duo Statuta Fratrum et nonnulla Privilegia continent.

7. *Liber Inventariorum* Viginti Quatuor Regalium, Tobia Erythraeo Seniore, confectus.

8. *Liber Apocharum census Cathedratici.*

9. *Liber Epistolarum.*

10. *Privilegia quaedam et Privilegiorum Transsumta* et quidem:

a) *Generalia ad Viginti Quatuor Regales Plebanos universe pertinentia*:

1. *De decimis integre solvendis*, cum addita poena, decimas rite non solventibus irrogata. Privilegium Elias Comitis Saxonum et Latinorum, Parochis Viginti Quatuor Regalibus Leutschoviae decimas jurejurando stipulantis anni 1280 — confirmatum Privilegiis Elisabethae Reginae Majoris Hungariae 1297, Sigismundi Imperatoris 1419 et 1434, atque Ferdinandi Imperatoris 1548. Aderant Privilegiorum Elisabethae et Sigismundi Transsumta de an. 1609.

2. *Transsumtum Privilegii, de libera Testamentaria dispositione Ferdinandi* 1548 et Ladislai Regis Hungariae an. 1274, in quo Pastores etiam a Hospitum Receptione, a Procuratione, ab Exactione prorsus liberi pronunciantur.

3. *Transsumtum Privilegii* Ferdinandi Imperatoris

anni 1530, *ne quis manum Clero inferat* sed exorbitantem coram Praeposito accuset.

4. *Mandatum Ferdinandi, de Protectione Plebanorum in Scepus* contra violentos et illegitimos impetitores et turbatores ann. 1530.

5. *Literae Ferdinandi ratione extorquendae Fassionis*, Viginti Quatuor Regalibus necessariae.

6. *Literae Universitatis Nobilium Comitatus Scepus*, quibus Plebanis Regalibus cavetur, quod ipsorum liberalitas et promtitudo in danda Taxa bellica contra Turcam, iis non debeat esse fraudi; quod item tempore pacis ab omni subsidio bellico debeant esse immunes.

7. *Diploma Georgii Thurzo, Palatini* an. 1610, cujus argumentum triplex est: primum enim libertas in Religione et quae cum ea sunt conjuncta, Augustanae Conf. Ministris salva relinquuntur; deinde Superintendentis electio et Consistoriorum fundatio permittuntur; denique Aug. Conf. Ministri maxime Viginti Quatuor Regales, secundum Privilegia Regum, Reginarum et Imperatorum in Testamentis Decimis et Proventibus Parochialibus defendendi, statuuntur.

b) *Specialia Tredecim Oppidorum Privilegia erant haec:*

1. *Copia Literarum Sigismundi, Regis Poloniae,* quibus promittit, quod in omnibus Beneficiis, Immunitatibus, Privilegiis et Libertatibus Tredecim Oppidorum Parochos velit conservare, impetitores vero poena capitali adficere an. 1548.

2. *Mandatum Ferdinandi Regis, de Clenodiis Ecclesiarum*, in Tredecim Civitatibus per Magistratum Polonicum non alienandis d. 3. Nov. 1551.

3. *Literae Maximiliani Imperatoris*, ad Sigismundum Augustum, Regem Poloniae, *ne insolita onera Tredecim*

Oppidorum Pastoribus imponantur, neve injuria quapiam afficiantur, d. 30. Sept. 1555.

4. *Mandatum Sigismundi Augusti, Regis Poloniae, ad Joannem Bondr*, ne per Officiales suos insolitis exactionibus Tredecim Oppidorum Pastores oneret, d. 15. Decembris 1555.

5. *Mandatum Rudolphi Imperatoris ad Joannem Rueber*, ne injustis Exactionibus sinat exagitari Pastores Tredecim Oppidorum; per Capitaneos et Officiales arcis Liblovlensis, d. 29. April. 1578.

Ejusdem argumenti Mandatum Olahi Archi-Episcopi ad Tredecim Oppidorum Pastores datum, ne violentis arcis Lublo Mandatis pareant, d. 30. Nov. 1557.

6. *Mandatum Principis Georgii Sebastiani Lubomirski*, quo strenua annua, vulgo Colleda dicta, in veterem restringitur morem.

Perstitit Fraternitas Viginti Quatuor Regalium Plebanorum Terrae Scepusiensis etiam post fulmen *excommunicationis*, quo an. 1632 Viginti Quatuor Regalium Pastores icti fuere, salva usque ad occupata per Romano-Catholicos annis 1671 et 1672 in Undecim, anno vero 1674 in Tredecim Oppidis Templa et Pastores exsilio mulctatos. quamvis Muckius, Pastor villae Sperarum ut Undecim Oppida a Tredecim Oppidis anno 1613; Sturmius vero Pastor Popradensis anno 1645, ut Tredecim Oppida ab Undecim Oppidis separarentur, Fratribus auctor fuit.

Habebat Fraternitas Viginti Quatuor Regalium Plebanorum ab incunabulis rei Evangelicae in Scepusio usque ad Templa an. 1674 occupata et Pastores proscriptos *Seniores* novem supra quadraginta. Est vero eorum series haec:

1. *Georgius Moller* (*Mollner*, *Molitor*) Leutschoviensis, primum M. Lumnicae, deinde ab anno 1529 Belae, postremo ab an. 1530 ad 21. Jul. an. 1558 Leutschoviae Plebanus. Senioris munus ab an. 1528 ad 1544, integris sedecim annis administrabat. Initio infensissimus sacrorum per Lutherum instauratorum hostis, et osor eorum, qui Doctoris Vitebergensis placita disseminabant, inprimis Andreae Fischer et Georgii Leutscher, cui ut munus Plebani Mülenbacensis, anno 1543 delatum, abrogaretur totis adlaborabat viribus. Postremo muneris gesti, tempore, per Diaconum suum Bartholomaeum Bogner, veriora edoctus, Evangelii doctrinam probabat firmiterque tenebat.

Eo clavum Fraternitatis gerente, non solum Joannes Horwath, Praepositus Scepusiensis, Secretarius ac Consiliarius Regis Hungariae, an. 1542 dura adversus Lutheri sectatores vulgavit decreta: sed etiam Ferdinandus I. Rex Hung. Mandato an. 1543 proposito, schismaticos et erroneos novaeque sectae homines puniri jussit.

Ceterum Mollero Seniore tristis fuit Plebanorum Viginti Quatuor Regalium sors, ob continuas nimiasque expilationes, profectas partim ab Officialibus Polonicis tributa imponentibus et bona Plebanorum mortuorum ad se pertrahentibus; partim a Praeposito Scepusiensi et frumentum frequenter petente et subsidia pecuniaria mox ad comparanda bona secularia (in his arcem Dunawec); mox in instaurandam Curiam Praeposituralem ruinosam in Capitulo exigente; partim a Seditiosis rem familiarem Pastorum in Tredecim Oppidis crebro infestantibus; partim denique ab Officialibus arcis Scepusiensis censum Cathedraticum Praeposito Scepusiensi solvi solitum, sibi vindicantibus.

Mollerus de Fraternitate, cum omnino multis nominibus optime meruit, tum potissimum Matricula, quae ab eo nomen gerit, diligenter scribenda — quam etiam post

quam sese munere abdicasset adhuc aliquo tempore continuabat — nominis immortalitatem sibi paravit. Molestiarum, quae cum Senioris dignitate erant conjunctae, pertaesus, Senioris munere d. 9. Maji an. 1544 decessit. De vita d. 21. Julii 1558 migravit.

2. *Laurentius de Iglo Parochus*, d. 9. Maji 1544 Senior electus, qui tamen viribus eum manifesto deficientibus, oblatum munus recusavit. Quare a Fratribus

3. *Georgius, Libicae Parochus*, d. 9. Julii 1544 in Congregatione Igloviensi Senior renunciatus fuit. Georgio hoc Senioris provinciam administrante, Joannes Horwath Praepositus Scepusiensis loco die 16. Decembris 1544 cedens, cum Agneta Jost Jorgel (Georg Czipsers) filia, Leutschoviensi, Matrimonium iniit. Horwathio in Praepositi munere successit Stanislaus Cibiniensis, Episcopus Quinque-Ecclesiensis, veritatis Evangelicae amicus et fautor, qui legatis Fraternitatis ad eum salutandum comparentibus, doctrinam Evangelicam commendavit, atque caerimonias superfluas, in Scriptura Sacra non fundatas, abrogandas esse pronunciavit.

4. *Antonius Toperczer*, Parochus Propadensis, in Menhardivillana Congregatione d. 2. Jul. 1545 Senioris muneri admotus, initio acer formulae Pontificiae defensor. Obiit anno 1567 oculis captus, sed tamen, ut Matricula Molleri perhibet, „in vera fide et invocatione filii dei, accepto reverenter sacramento corporis et sanguinis Christi sub utraque specie.“

5. *Jacobus Blasy* de Libica, Plebanus Váraliensis, in Congregatione Durandivillana an. 1546 d. 8. Nov. primi suffectus. Senioris locum tenens, Váraliá anno 1548 Olassium commigravit. De ejus morte (an. 1567) Matricula Molleriana eadem quae de Toperczeri obitu scribit.

6. *Laurentius Buchwald*, Nissa-Silesius, Plebanus Menhardivillanus, die Domini ante festum Margarethae an. 1549 Olassii Senioris munus capessivit. Ex Schiste

Blasius Praepositi Capituli Scepusiensis sedem obtinuit, an. 1549 Fraternitas Viginti Quatuor Regalium Plebanorum Terrae Scepusiensis eo munus Senioris obeunte, amissis incendio in Parochia Menhardivillana Privilegiis, et forte antiqua quoque Viginti Quatuor Regalium Matricula irreparabilem fecit jacturam.

7. *Urbanus de Zalok* majori, Filcensis Parochus, feria secunda ante festum Lucae anno 1551 Belae, Buchwaldo substitutus. Ante fatum (d. 22. Maji 1552) Antonio Toperczer, circa 25. Martii reddidit Fraternitatis Statuta, Cistam et Privilegia.

8. *Martinus Theuerkauf*, Parochus Mühlenbacensis, ante Festum Simonis et Judae an. 1552 Libicae Senioris honore condecoratus. Eo Seniore, Jacobus Lumniczky, Vice-Capitaneus Castri Liblioviensis, dimidias decimas Parochis Tredecim Oppidanis anno 1554 ex campis rapuit.

9. *Salomon Regner*, Eperiessiensis, Ecclesiae Libitensis Pastor, anno 1555 d. 12. Maji in domo Parochiali Venerabilis Capituli Scepusiensis, Senior nominatus. Eo Fraternitatem regente Fratres Blasio de Petervaradio, Episcopo Vaciensi, Praeposito Scepusiensi, subsidium charitativum centum Florenorum solverunt.

10. *Laurentius Serpilius*, Parochus Belensis, cui Fratres Váralii d. 5. Maji 1557 Senioris munus injunxerunt. Serpilius hic, die prima Junii an. 1557 congregavit Fratres Belam, ut deliberaretur de modo ponendi obices avaritiae officialium Liblioviensium, decimarum dimidiam partem imperiose exigentium. Ipse etiam Senior die 23. Aug. Libloviam descendit, ubi oblato Joanni Bonár Capitaneo, argenteo scypho rogabat, conservaret Tredecim Oppidorum Pastores in eos Privilegiis et Juribus; quod ille se facturum promisit.

11. *Georgius Künasch*, ab an. 1548 Parochus Hunisvillanus, die 12. Julii anno 1558 Quintofori Senior de-

signatus, quam provinciam usque ad annum 1560 administrabat.

12. *Gregorius Filker* (Stephani), Pastor Filcaviensis, a. 1560 d. 13. Nov. Menhardivillae in Senioris gradum promotus. Eo Senioris partes sustinente Gregorius Bemenissza Praeposituram Scepus. consecutus est.

13. *Joannes Scholtz,* Plebanus Belensis, die 16. Nov. 1562 Durandivillae muneri Senioris praefectus. Multum restitit Officialibus Liblovieusibus dimidiis Pastorum decimis inhiantibus.

14. *Laurentius Serpilius,* Belensis, Plebanus Liblicensis, Senioris munus ei in Monte Sancti Georgii d. 8. Nov. a. 1564 fuit mandatum. Eo Senioris munia obeunte Nicolaus Macziejowszky, Capitaneus Tredecim Oppidorum, Viginti Quatuor Regalium Parochos in diem 12. Nov. anni 156. ad arcem Liblovieusem arcessitos commonefecit, ut quisque eorum, officii diligens esse velit, populum secundum normam verbi dei, in Confessione Augustana contentam doceat atque sacramenta institutioni Christi convenienter administret. Hoc si fecerint, se Patronum eorum futurum esse promisit. His blanditiis animos Fratrum ita delenivit, ut in subsidium 150 cubulorum siliginis, quinquaginta tritici, ducentorum hordei, ducentorum avenae, Capitaneo congerendorum, inviti licet consentirent. Munus hoc abiit in consuetudinem, consuetudo in necessitatem, quae quamdiu Tredecim Oppidani Evangelici Beneficia Parochiali tenebant, non amplius fuit abrogata. Neque tamen hoc tantum donum suffecit Capitaneo, aliud enim praeterea onus Pastoribus Tredecim Oppidanis imposuit; hoc nimirum, ut per hyemem equos famulorum ejus, quinque mensium intervallo alerent.

Senior Serpilius anno 1565 cum Con-Seniore, Menhardivillam sese contulit, gratiam Laurentium Buchwald Pastorem inter et Paroecos compositurus, sed „rustici ar-

rogantes et protervi Magistratum suum ecclesiasticum, neque videre, neque audire voluerunt."

Idem Serpilius anno 1566 a Nicolao Macziejowsky Mandatum impetravit, quo Grafio et Tredecim Oppidorum Judicibus imperatur, invigilarent ut Oppidorum incolae Parochis suis justas et integras omnis generis frugum decimas, gravi sub poena reddant.

Idem Senior cum Con-Senioribus anno 1568 Capitulum Scepusiense, Festo Andreae adscendit, ubi in Synodum in Dominicam Jubilate anno 1569 indicendam, consentire cogebatur. Consilium hocce Praepositi occasionem dedit Congregationi die 14. Dec. in Villa Compositi celebrandae, in qua negotium scribendae Confessionis, quae Praeposito in Synodo porrigeretur, Valentino Megandro Con-Seniori, Igloviensis, et Cyriaco Obsopaeo, Philippi Melanthonis et Stöckelii sedulo auditori et genuino sectatori, Váraliensis Ecclesiae Pastoribus creditum est.

15. *Valentinus Megander,* Cremnicensis, Pastor Ecclesiae, quae Novocomii est, an. 1569 d. 26. Oct. Menhardivillae Senior nuncupatus. In Congregatione hacce, etiam Confessio, quam ipse Senior cum Obsopaeo paravit, primum lecta fuit. Fratres eam verbo Dei et Evangelio Domini Jesu Christi consentaneam laudarunt et approbarunt.

16. *Jacobus Clemens,* Novisoliensis, Plebanus Menhardivillanus, Senioris munus d. 8. Nov. an. 1570 in villa Hunis auspicatus. Eo gubernacula Fraternitatis tenente, Pastores ex toto Scepusio ad Praepositi Bornemisszae Jurisdictionem pertinentes, ejus Jussu d. 30. Nov. 1570 in Capitulo convenerunt, ubi Praepositus producto Mandato Regis Maximiliani II. prohibuit, ne quis eorum Sacramentarios, Arianos et similes haereticos, et eorum libros, vel audire vel legere imo et eos fovere audeat, sub poena privationis vitae et omnium bonorum. Eadem occasione Bornemissza promisit, se omnium Plebanorum et eorum orborum Tutorem et Defensorem esse velle; quam favoris con-

firmationem fratres denuo centum avenae cubulis remunerari debebant. Obiit Clemens d. 6. Decembris an. 1558.

17. *M. Antonius Plattner*, Leutschoviensis, Melanthonis discipulus, in urbe patria primum quinquennio Scholae Rector, deinde anno 1567 in Diaconum Leutschoviensem Brigae ordinatus, mox ibidem Archi-Diaconus; post ab anno 1569 Pastor. Senioris provinciam adiit d. 13. Nov. 1572 Popradini. — Plattnerus Fratres Igloviam d. 8. Jan. 1573 convocatos permovit, ad subsignandos Confessionis Viginti Quatuor Regalium Articulos, Augustanae Confessioni consentaneos.

Tuebatur Senior Fratres contra impudentiam, Bartholomaei Gemovszky, Officialis Libloviensis, centum vehicula straminis hordeacei et triticei poscentis. Mense Majo ejusdem anni 1573 Eperiessinum sese contulit, Archi-Episcopum Strigoniensem, Antonium Verantium salutaturus [illegible] Verantius Plattnero auctores et doctores Evangelicos, viros doctos et eruditos commendavit et neque sacerdotum conjugium reprobavit.

18. *M. Lucas Conon* (*Kien*), Elysio-Grünbergensis, Pastor Novocomiensis, Olassii d. 7. Nov. 1575 Seniori dignitati praepositus. Ut Fratres ab exactis a Tredecim Oppidorum Pastoribus per Joannem Macziejowsky, Capitaneum Libloviensem, mille avenae cubulis, liberaret; Joannem Rueberum, Superioris Hungariae Generalem Capitaneum, permovit, ut pro illis apud Macziejowskium [illegible] precaretur.

19. *Cyriacus Obsopaeus*, Váraliensis Pastor, [illegible] schoviae die 6. Nov. an. 1578 Senioris honore [illegible] Eo Seniore in Congregatione, in Villa Compositi d. 9. [illegible] an. 1580 instituta, decretum fuit, ut Fratres [illegible] [illegible] bendi, in communes usus unum Florenum [illegible] Ejus merito accidit, quod Gregorius Bornemissza, [illegible] positus Scepusiensis, an. 1578 d. 29. April. ab Imperatore Rudolpho II. pro Tredecim Oppidorum Pastoribus, [illegible]

egium impetraverit, quo et Joanni Ruebero, Supremo partium Hungariae Superioris Capitaneo et futuris Capitaneis praecipitur, ne sinant exagitari Pastores Tredecim Oppidorum, quorum ipse praecipuus esset patronus, per Capitaneos et Officiales arcis Libloviensis; sed eos potius tám contra hos quam et alios violentos turbatores tueantur protegantque. De vita migravit Obsopaeus d. 19. Julii an. 1596.

20. *Valentinus Hortensius*, Libloviensis, Ecclesiae Libicensis Pastor, Belae d. 7. Nov. 1581 Senior creatus. Eo Senioris locumtenente, Casparus Kraczer, Rueberi Concionator Aulicus, a Viginti Quatuor Regalium Pastoribus librum Concordiae in numerum Symbolorum Ecclesiae Evangelicae recipi voluit. Sed postquam Plattner in Congregatione Novocomiensi d. 4. Febr. an. 1582 doctissimorum Germaniae virorum judicia de libro hocce praelegisset: „Fratres unanimi consensu decreverunt, se in usitata patria Augustana Confessione conquiescere velle, quam duo divi Imperatores, semper Augusti, Ferdinandus et Maximilianus, hisce regionibus concesserunt, et duo Archi-Episcopi Strigonienses, Nicolaus Olahus et Antonius Verantius, manuum subscriptione adprobarunt et confirmarunt." Sententia haec in Congregatione Quintofori festo Cinerum habita stabilita fuit.

Cum an. 1582 Praepositus Capituli Scepusiensis, causa Formatorum, id est literarum, quae suscepti ordinis sacri testes sunt, quaestionem moveret atque praetenderet, accepisse se in Mandatis, ut qui a legitimis Episcopis Romano-Catholicis ordines sacros non suscepissent, vel ritui Romano nomen darent, vel de regno migrarent: Hortensius eum dono quinquaginta aureorum placavit, ad quam summam Fratres Viginti Quatuor Regalium dimidietatem, alteram vero partem dimidiam, reliquae sex Scepusii Fraternitates (montana, quae septima fuit, excepta) contulerunt.

Postquam annis 1583 et 1584 de novo Calendario Gregoriano recipiendo — quem etiam Status et Ordines Comitatus Scepusiensis adspernabantur — multum disceptatum fuisset: postremo et Praeposito Capituli et Officialibus Libloviensibus, nimium quantum urgentibus et exemplo Quinque Liberarum Regiarumque Civitatum invitante, in Congregatione Libicensi d. 17. Aug. an. 1584 sancitum fuit: „Calendarium hocce, si religioni verae, nullum praejudicium vel periculum intulerit, recipiendum esse.'

Tuitus est Hortensius Fraternitatis jura viriliter contra avaritiam Lamberti Kozlankowski, qui mortui Valentini Gnisneri, Pastoris Popradensis, bona in suam redigere potestatem conabatur.

21. *Procopius Scholz*, natalibus Menhardivillanus, Pastor M. Lumnicensis ab an. 1565 ad 1596. — Senioris munus ei in Congregatione Igloviensi d. 15. Maji an. 1585 delatum fuit. Eo Seniore, Joannes Váralie[...], Capituli Scepusiensis Vicarius Generalis, „oleum execrabile et idololatricum — uti Matricula Molleriana habet — Evangelicis Tredecim Oppidanis ingerere studebat." Fratres tamen sollicitationi huic indignabundi, in Congregatione Quintofori habita, potenter restiterunt. Obiit Scholz die undecima Augusti an. 1596.

22. *M. Antonius Plattner*, d. 18. Nov. 1587 secundum Senior Olassii renunciatus. Eo munus hocce gerente, Martinus Petheö, Episcopus Varadiensis et Praepositus Jaszoviensis, obtinuit Pracposituram Scepusiensem, quam secunda Februarii anno 1588 adiit. Seniori et Con-Senioribus cum excipientibus defensionem et omnifariam benevolentiam promisit.

Plattnerus an. 1590 d. 8. Nov. Isacivillae, antequam Senioris munere sese abdicaret, librum, rubro corio compactum, Confessionem Fidei Viginti Quatuor Regalium Parochorum continentem, in perpetuae memoriae et amicitiae pignus Fraternitati donavit. Cum Senior veneranda

cum Con-Senioribus d. 28. Nov. 1590 censum Cathedraticum Praeposito deferret; hic eos ad firmiter retinendam Augustanam Confessionem hortatus est, declaravitque praestare ut hanc teneant, quam ut ad Calvinianam sectam deflectant, certoque promisit illos, quamdiu in Augustana Confessione constantes permanserint, non a se solum, sed et ab ipsa Imperatoria Majestate defensionem habituros. Obiit Plattner d. 15. Oct. 1598 annum aetatis 64 ingressus postquam Ecclesiae patriae triginta annis praefuisset.

23. *Joannes Jantschius,* Liptsche-Zoliensis, Novocomensis Pastor, Libicae d. 13. Nov. an. 1590 Senior constitutus. Historiam belli Turcici in Matricula Molleriana copiose exposuit.

Eo Seniore Universitas Comitatus Scepusiensis a Tredecim Oppidorum Pastoribus subsidium bellicum exigere coepit; quod onus post longa annorum serie erat ferendum.

24. *Matthias Christophori,* Plebanus Popradensis M. Lamnicii an. 1599 d. 6. Aug. Jantschio surrogatus. Eo Senioris partes agente, Sebastianus Lubomirski an. 1600 trecentos siliginis, centum tritici cubulos, praeter quantitatem quotannis dari solitam, a Tredecim Oppidorum Pastoribus poscebat. Donum hoc Fratres negarunt quidem, sed mox anno 1602 d. 11. Sept. ad nuptias filiae Principis invitati, 16 aureis doni nuptialis titulo datis, compensarunt. — Obiit Christophori d. 22. Jun. 1622.

25. *M. Joachimus Goltz,* Dragenburgo-Marchicus, Pastor Neocomiensis, Senioris officia et partes Popradini d. 18. Nov. an. 1602 suscepit. Eo officio delegato vacante, Joannes Lodzinski, Vice-Capitaneus Libloviensis, nomine Principis Lubomirski, a Tredecim Oppidorum Pastoribus ducentos cubulos hordei totidemque avenae an. 1603 d. 23. Febr. postulavit; sed non amplius, quam triginta cubulos hordei obtinuit. Hoc tamen dono parum contentus

Durandivillano imminebat, postquam Matthaeus Alphonsus a Rege Poloniae impetrasset, ut ei Ecclesiae Durandensis beneficium conferret, declinavit, intercessione solemni coram Capitulo Scepusiensi facta.

Multum meruit Xylander de Christophoro Thurzo, Supremo Comitatus Scepusiensis et Sárossiensis Comite, a sacris Evangelicis per Patres e Societate Jesu abducto, nostrae Ecclesiae solenni ritu diebus secunda et tertia Martii an. 1613 restituto.

Sapienti consilio, ne nimirum novis vocandis Pastoribus, coetus novas onerosas scriberent conditiones, Xylander Fratres pro Congregatione Isacivillae d. 5. Junii 1613 instituenda, Inventaria ferre jussit.

Idem Xylander Matriculam Viginti Quatuor Regalium Mollerianam multis additamentis, historicis potissimum, auxit et locupletavit, atque peculiari quoque Codici Chronologico, qui hodie in Tabulario Superintendentali Leutschoviae asservatur, Memorabilia historica inseruit plurima.

Xylandro Seniore Ladislaus Hosszuthóty, Praepositus provinciam d. 24. Decembris an. 1614 adiit, praemissa pro Primitiis suis Fratrum Viginti Quatuor Regalium honorificentissima Invitatione.

28. *M. Petrus Zablerus*, anno 1614 in Synodo Viraliensi Quinque Liberarum Regiarumque Civitatum Superintendens electus, Senioris partes d. 29. Nov. an. 1615 Hunisvillae denuo suscepit. Zablerus causam Tredecim Oppidanorum Pastorum, apud Palatinum Thurzo toto conatu egit, postquam rumor fuisset sparsus, Principem Lubomirski, illos loco movere decrevisse. Questus est Palatino Senior, Lubomirskium decimale frumentum, partim ad heredes Pastoris Olassensis Thomae Schnell (septingentorum cubulorum) partim ad successorem demortui pertinens, ad se violenter pertrahere, et neque Praepositi Scepusiensis hac de causa factam intercessionem curare. Accusabat praeterea Officiales Liblovienses, Tre-

decim Oppidorum Pastores insolitis exactionibus vexantes. Hac lamentatione effecit, ut Palatinus Lubomirskium literis adiret, per nuncios Comitatus Scepusiensis eidem redditis. Sed Princeps Stanislaus Lubomirski, nullam Regni Hungariae Pro-Regis in Tredecim Oppidis auctoritatem agnoscere voluit; Tredecim Oppidorum Pastoribus injuriam inferri negavit, atque in illos ipsos, potius, non solum permulta accusationum puncta calumniose congessit, sed eos et potestate expellere constituit. Hoc consilio d. 9. April. anno 1616 magno cum comitatu peditum, equitum et curruum Varaliam venit, hic Templorum adimendorum initium facturus. Verum literis regiis et deprecatione nonnullorum Familiarium retractus, a proposito destitit.

29. *Joannes Serpilius*, Ecclesiae Libicensis Pastor, cui Fratres d. 30. Decembris an. 1616 Varalii Senioris partes adsignarunt.

30. *M. Petrus Zablerus*, die 10. Decembris a. 1619 in Villa Palmarum, tertium Senioris provinciam sortitus. Eo Seniore in Congregatione M. Lumnicensi sancitum est, ut Novitii Pastores, Fraternitati adscribendi Florenos Quinque aerario Fraternitatis inferant.

31. *M. Elias Ursinus*, Pastor Igloviensis, d. 23. Nov. 1621 Libicae Senioris dignitatem obtinuit. Eo Senioris munus exsequente, die 21. Nov. 1624 Belae in Congregatione decretum fuit, „ne quis per cuniculos venetur Parochiam splendidiorem, neve propter hordei manipulum ex una Parochia migret ad alteram, cum hoc mercenarii, non Pastoris sit; deinde ne inscio Seniore cuipiam concedatur potestas de suggestu sacro pro concione dicendi. Praeterea statutum est: quia vocatis ad Ecclesiam aliquam Pastoribus, per Paroecos nova onera Indicibus rerum Parochialium (Inventariis) inscripta, nonnunquam imponebantur, ut huic malo occurri queat, omnes Pastores oportere Inventaria fideliter descripta, Seniori adsignare, ut cum Inventariis, quae Pastoribus in posterum vocandis redden-

tur, conferri possint, atque sic caveatur, ne quod Juribus Parochialibus a Paroecis detrimentum inferatur. Multum Ursino aerumnarum laborumque peperit Popradensium in viduam Pastoris Matthiae Christophori iniquitas, prout et errores in ejus successore legendo commissi, atque Gregorii Arelt ex villa Rokesi, Filcaviam praeter fas promoti, improbitas, cavillandique studium.

32. *Stephanus Tamariscus*, Pastor Menhardivillani Senioris muneri a d. 20. Nov. 1625 praefuit. Eo Seniore Praepositus Scepusiensis, Ladislaus Hosszuthóty, d. 13. Martii 1626 Fraternitati indicavit, se proxime Ecclesiarum Visitationem per Scepusium suscepturum esse. Sed Fratres Spectationem Recensionemque hancce, literis ad eum datis, hac potissimum de causa deprecabantur, quod lege in Comitiis anni 1608 condita, Ecclesiarum Visitatio propriis cujusvis Confessionis Superioribus, delata sit. Eo nuncio Praepositus a proposito dimotus fuit.

Controversiae agitatae inter plures Fratres, Danielem Cornides et Joannem Bergerum; Dan. Cornides et Tobiam Weisz; Tobiam Weisz et Danielem Sturm, hominem subdolum et insidiosum, Tamarisco Senioris munus nimis onerosum reddiderunt.

33. *M. Petrus Zablerus*, in Congregatione Georgii Montana d. 22. Nov. 1628 quartum Senior renunciatus. Eo Seniore Diaconus Popradensis Durskius, in coetu Popradensi graves turbas dedit. Quare Senior eum ad consilium an. 1628 adeundum cogebat; sed cum Popradenses illum Seniori in opprobrium retinuissent: Zablerus apud Tredecim Oppidorum Comitem effecit, ut Popradenses Durskio dimisso, ad alium eligendum adigerentur. Impegerunt tamen in hominem magis adhuc malitiosum, Bernhardum Krebs, Grimma-Misnicum.

34. *Joannes Serpilius*, Pastor Libicensis, d. 13. Nov. 1630 Filcaviae Senioris capessivit locum. Multum molestiarum ei facessivit Bernhardus Krebs, Diaconus Popra-

densis, seditiosus, protervus, audaculus, Pastoris sui et aliorum obtrectator et sugillator iniquissimus, cujus culpa accidit, ut Benedicto Schimeragio Pastoris Popradensis munus abrogaretur. Plus adhuc calamitatis peperit Serpilio lis cum Capitulo Scepusiensi agitata, propter factum Ludovici Szegedy cum uxore Barbara incolarum Váraliensium divortium. Praeterea Gregorius Arelt, Filcaviensis, et Daniel Sturm, Popradensis Pastor, tantas Serpilio pepererunt aerumnas, ut Senioris provincia d. 2. Novembris anno 1634 cum lacrumis decederet.

35. *M. Petrus Zablerus*, Leutschoviae d. 17. Nov. 1632 quintum ad Senioris munus admotus. Eo Seniore secuta est excommunicatio Viginti Quatuor Regalium Pastorum, ob divortium Ludovici Szegedy in Templo Capituli Scepusiensis d. 19., 22. et 27. Decbris. publice praelecta; quae res Fraternitati non minus sollicitudinis confecit, quam sumtus creavit.

Ceterum Zablerus hic Superintendens triginta et unius annorum intervallo ordinibus sacris initiavit Pastores 212. Leutschoviae munus sacrum annis 43 gessit. Obiit d. 23. Sept. an. 1645.

36. *Daniel Cornides*, Pastor Isacivillanus, d. 2. Nov. an. 1634 Menhardivillae Senioris provinciam cepit. Eo Seniore Serpilius a Sturmio Calvinismi insimulatus, per Cognitores Polonicos an. 1605 quaestioni subjiciebatur. Cognitores eum Calvinismi reum pronunciant, et ut Parochia ejiciatur decernunt. Quia tamen non confestim in otia recessit, mense Octobri ejusdem anni per Vice-Capitaneum Liblovienscm comprehensus, in custodiam arcis Libloviensis fuit conjectus. Senior per ablegatos nuncios eum libere dimitti flagitavit; at vano labore et conatu. Serpilius enim non modo absolutus non fuit, sed adeo Visnicam in Poloniam relegatus, ubi sex hebdomadarum intervallo in custodia detinebatur. Interea Vice-Capitaneus

Csaplinski bona ejus in publicum addixit. Ipse Serpilius postremo libertate donatus, loco cedere cogebatur.

Summam Seniori aegritudinem pepererunt Gregorius Arelt, Daniel Sturm et Joannes Hellner, Pastor Libicensis. Obiit Cornides d. 17. Nov. 1639.

37. *Joannes Pilemann*, Pastor Varaliensis, in Villa Suevi d. 19. Nov. 1636 Senior dictus. Eo Seniore inquieti Pastores proxime commemorati multa mala concitarunt. Functus est d. 27. Sept. a. 1641.

38. *M. Stanislaus Horlerus*, Pastor Igloviensis, d. 21. Nov. 1640 Eulenbacii Senior designatus. Horlero officio delegato vacante, Libicenses Pastorem suum Hellnerum, maxime heluationis, negligentiae in partibus muneris obeundis et contemptionis Magistratus domestici accusabant. Quoniam vero in Conventu hac de causa d. 18. April. 1642 celebrato, gratiae reconciliatio tentata non successit, partes ad Principem Lubomirski appellarunt. Hic Cognitores Libicam expedivit, qui quoniam opinione prius venerant et Hellnerum bene potum invenerant, extemplo Libicensibus potestatem alium vocandi Pastorem d. 24. Maji 1642 tribuerunt. — Horlerus vitam cum morte commutavit d. 15. Aug. 1645.

39. *Tobias Erythraeus*, Pastor Belensis, cui Senioris provincia Belae d. 17. Nov. 1644 imperata fuit. Eo Seniore in Congregatione Durandivillana d. 3. Jun. an. 1645 celebrata, Sturmius, homo facinorosus, Conventuum spretor, conviciosus, ambitiosus, ingenium secum habitare nesciens, sui profusum, alieni appetens, sententia Fratrum a corpore almae Fraternitatis segregabatur et ceu membrum putridum resecabatur. Sed Sturmius in Vice-Capitaneo invenit Patronum, qui non modo Seniorem permovit, ut deprecatione contentus Sturmium in consortium Fratrum reciperet, sed et adegit, ut Reo ex aerario Fraternitatis sumtus Quindecim Imperialium resarcirentur.

40. *M. Joannes Windisch*, Pastor Varaliensis, Mega-

Lomnicii munus Senioris d. 21. Nov. 1647 capessivit. Eo Seniore Hosszuthótyo d. 28. Dec. 1647 mortuo, in Praepositi dignitate successit Matthias Tarnoczy, Episcopus Csanadiensis, qui d. 3. Aug. 1648 Praepositi sedem occupavit. Huic ne census cathedraticus daretur, neve sese Pastores Tredecim Oppidani subjicerent, Stephanus a Lubowec, Lubowecki Vice - Capitaneus prohibuit. Brevi post ipse Praepositus, Seniori, quem arcessiverat, exprobravit, quod tamdiu se visitare neglexerit. Cum Senior culpam in Vice - Capitaneum detorqueret: Praepositus reposuit, Vice-Capitaneum omnibus renunciasse, quae ante Tredecim Oppidorum Pastoribus intentaverat. Postea acceptis muneribus suum patrocinium et animum propensum ultro pollicitus est.

Windischio clavum Fraternitatis gerente, Magistratus Polonicus imperavit, ne Tredecim Oppidani Pastores in dicendo pro concione durius perstringerent Romano-Catholicos, neve eos Papistas sed adversarios suos nominarent. Windisch ipse et Peschovius accusati a malevolis, quod legem illam violaverint, graviter mulctabantur; ille centum aureis, in quibus exsolvendis alma Fraternitas eum quinque aureis juvit; hic centum Florenis Polonicis, quorum quinque unum Florenum efficiebant. Omnino autem hoc tempore Capitanei et Vice-Capitanei Tredecim Oppidorum, potestatem suam in Ecclesias earumque Pastores in dies amplius extendebant, jamque ipsum quoque Patronatus Jus, quo Oppida gaudebant, saepius labefactarunt. Etenim non solum Weiszii, Popradensium Pastoris Vocationem impugnarunt: sed et Durandivillanis in vocando post Pilemanni mortem, novo Pastore, impedimenta adtulerunt.

41. *Matthaeus Viti*, Pastor Libicensis, d. 15. Nov. 1651 in Congregatione Menhardivillana Senior creatus.

42. *M. Joannes Windisch*, Varaliensis Pastor, in locum Viti d. 19. Nov. 1654 Quintofori subrogatus. Eo

Seniore Joannes Palfalvay fit d. 8. Oct. 1654 Praepositus Capituli Scepusiensis.

In Congregatione Popradii d. 10. Nov. 1655 celebrata, lex fuit condita, ne quis Fratrum praesumat causas matrimoniales per se cognoscere, Sponsalia dirimere aut dissolvere, et delinquentes mulctare Seniore et Contubernio insciis.

43. *Tobias Erythraeus* cui d. 19. Julii an. 1657 in Villa Palmarum munus Senioris delatum fuit. Senior hic jubente Stephano Lubowecki, adscito in societatem Georgio Milleter, Tredecim Oppidorum Grafio, anno 1658 Senioralem in Tredecim Oppidis peregit Visitationem. Dolendum tamen, quod Actorum Commentarii, praeter Indicem supellectilis vasorumque sacrorum atque interni Templorum adparatus, nihil continent.

44. *Daniel Peschovius*, Pastor Menhardivillanus, d. 20. Nov. 1659 in Monte S. Georgii Senior lectus. Eo Seniore Vice-Capitaneus Libloviensis, Stephanus Kobierski d. 20. Junii 1660 Pastorem Menhardensem et Michaëlisvillanum in diem quintam Julii citavit, ut iis praesentibus casum quendam matrimonialem, in quarto gradu lineae inaequalis judicaret. Peschovius cum ad arcem adscendisset Vice-Capitaneo persuasit, se propterea huic matrimonio restitisse, quod repugnaret Statutis Fraternitatis. Kobierski declaravit, se quidem Statutis Fratrum derogare nolle: orare tamen ut Fratres in matrimonium hocce consentiant. Promisit Senior se adlaboraturum, ut Fratrum consensum impetret. Hi initio difficiles, ne novis sese implicarent difficultatibus, postremo Capitanei postulata fecerunt.

45. *Tobias Erythraeus*, Pastor Belae, ibidem d. 1. Dec. an. 1661 Senioris munus suscepit. Hic cum Georgium Bársony, novum Praepositum Scepusiensem, anno 1662 salutasset, ab eo promissum accepit, quod Pa-

stores Viginti Quatuor Regales in usu Jurium et Privilegiorum conservare velit.

46. *Daniel Peschovius*, Pastor Menhardivillanus, d. 30. Oct. 1663 Mühlenbacii Senior cooptatus. Hic anno 1664 a Grafio Tredecim Oppidorum, hunc favorem obtinuit, ut Communitatibus praeciperet, quo remoto dolo et fraude decimas justas Pastoribus suis persolverent.

Peschovius a vexatione Magistratus Polonici non mansit immunis. Etenim Joannes Tworsianski, Vice-Capitaneus Tredecim Oppidorum, eum anno 1665 Libloviam citavit, causam redditurum, quod se in Seniorem esse electum illi nunciare neglexerit. Senior postquam cum Con-Senioribus ipsius Grafii et Judicum testimoniis evicisset, hanc praesentandi consuetudinem nunquam fuisse solemnem et argumentis suis decem Imperialium dono majus adhuc robur addidisset: Tworsianskium facile placavit. Obiit Peschovius d. 20. Maji an. 1667.

47. *Michaël Gnendel*, Pastor Igloviensis, ibidem an. 1665 Senioris adsignitus dignitate. Quatuor ei sunt adjuncti Con-Seniores, duo quippe ex Tredecim, unus ex Undecim Oppidis, et unus ex Nobilibus id est Pastoribus Ecclesiarum vicanarum ad Fraternitatem pertinentium.

48. *M. Daniel Kleschl*, natalibus Igloviensis, Pastor Varaliensis, d. 16. Nov. 1667 Odoriui Senioris muneri praepositus. Multum incassum egit in salvanda Ecclesia Eulenbacensi et restituendo ei Pastore, quem Comes Franciscus Csáky d. 24. Sept. anno 1667 pepulerat.

Magnam Kleschio aegritudinem peperit Tredecim Oppidorum Grafii, Laurentii Roth audacia, qui, quo Rectorem Libicensem, Venceslaum Ritzmannum, generum suum, in Oppidi Diaconum promovere posset, spreto Patronatus jure, invitis et reluctantibus Durandivillanis, Joannem Wagnerum Libicensem Diaconum, Pastorem obtrusit.

49. *Michaël Noscovius*, Pastor Filcaviensis, d. 20. Nov. 1669 Popradini Senior electus. Eo Seniore an.

1671 et 1672 jam Templa in Undecim Oppidis occupata, Pastoresque ejecti fuerunt. Anno insequenti 1673 Vice-Capitaneus Libloviensis ad Noscovium Mandatum dimisit, de non admittendis ad Tredecim Oppidana Templa extraneis, id est reliquarum Scepusiacarum Ecclesiarum civibus, jam Pastoribus privatis. Senior Mandatum hocce in ultima Fratrum Congregatione d. 22. Nov. 1673 Mehardivillae celebrata promulgavit. Intercedebant Edicto huic Fratres; sed frustra. Anno enim postero 1674 et ipsi, Templis per Romano-Catholicos occupatis, a solo patrio extorres esse jubebantur.

Tempestate motuum Rakoczyanorum multi Evangelici Coetus in Scepusio, praeter Tredecim Oppidanos adempta ante Templa et Beneficia Ecclesiastica recuperarunt. Quorum Pastores, ante persecutioni expositi, d. 8. Dec. an. 1705 Kesmarkini in Parochia convenerunt, et praestito Rakoczyo fidelitatis sacramento, *Fraternitatem Viginti Quatuor Regalium Parochorum instaurarunt*, Georgio Buchholtz, Pastore M. Lumnicensi, in Seniorem, Melchiore Birnstein Hunisvillano in Con-Seniorem et Tobia Quistkovits Lucensi in Notarium et Oratorem constitutis. Anno 1709 d. 7. Nov. in Congregatione Ursivillanae Birnsteinio, Theophilus Leviny, Pastor Mühlenbacensis, et Chwistkovitsio (Quistkovitsio) Daniel Lippisch, Pastor Neocomiensis, suffecti fuere. Enimvero Fraternitas haecce brevi post exspiravit.

Locus secundus.

A concessa Pastoribus Evangelicis, Tredecim Oppida inhabitandi venia, usque ad secundam Canonicam Ecclesiarum Recensionem; seu ab an. 1706 — 1825.

Restituto post persecutionis tempora, libero sacrorum usu et concessa Pastoribus potestate Tredecim Oppida inhabitandi: hi quamdiu Capitaneis Poloniae suberant, nullo communi vinculo conjungebantur, neque legimus eos unquam Conventus celebrasse. Si igitur quid deliberandum erat, de rebus ad religionem profitendam, vel disciplinam ecclesiastisam exercendam, vel pericula propulsanda, et jura defendenda vel universim ad salutem coetuum sacrorum juvandam pertinentibus: id in civilis ordinis virorum, inprimis Tredecim Oppidani Comitis et Judicum, vel primariorum Senatorum, si hi Evangelica sacra sequebantur, concionibus fieri solebat, Pastoribus ad summum clam consilia suppeditantibus. Tredecim Oppidis regno Hungariae restitutis, Gregorius Fabri, Districtus Tibiscani Superintendens, Evangelicos Tredecim Oppidanos literis d. 16. Nov. anno 1776 provocavit, ut sese Districtui sociarent. In Conventu Igloviensi, ex civilis et ecclesiastici ordinis viris d. 11. Nov. an. 1777 conflato, communi consensu conciliatio haec dilata fuit. Nec meliori cum successu causa illa in Conventu Igloviensi d. 13. Julii an. 1779 in quaestionem vocabatur. Brevi post Pastores et coetuum nuncii, qui d. 20. Aug. et 30. Sept. 1779 atque 7. Martii an. 1780 Igloviae convenerant, in conjunctionem cum Districtu consenserunt quidem, sed quod non defuerint, qui de venia condendae in Tredecim Oppidis peculiaris Superintendentiae altissimo loco impetranda, somniarent: Conventuum decreta in irritum reciderunt. Confecta tandem fuit copulatio, Tredecim Oppidanarum Ecclesiarum cum Districtu in Conventu Districtuali Eperiessini die 18. et 19. Jan. 1782 celebrato, ita ut *Coalitio Dopschensis* d.

11. Jan. 1743 inita pro basi sumeretur. Coalitione quippe hacce universae Ecclesiae Districtus Tibiscani, in Germanicas et Slavico-Hungaricas ita divisae fuerunt, ut prioribus Ecclesiae Germanicae Liberarum Regiarumque Civitatum et Oppidi Dopschae, posterioribus reliquae Ecclesiae per Districtum et in Liberis Regiisque Civitatibus obviae adsignarentur, statueretur que Superintendentem alternatim, nunc quidem ex germanica, nunc ex hungarico-slavica natione legendum esse. Ad normam igitur coalitionis hujus, Ecclesiae Tredecim Oppidanae *Coalitione Eperiessiensi* in numerum Ecclesiarum Germanicarum assumtae erant, cujus rei consequentia fuit, ut singulus quisque Tredecim Oppidanorum Coetuum, Jura Liberarum et Regiarum Civitatum in Superintendentia Tibiscana nancisceretur, eorum V. D. Ministri muneris quoque Superintendentalis capaces declararentur, omnes praeterea Tredecim Oppidorum Ecclesiae Seniorem e numero Pastorum suorum, Senioralemque Inspectorem legere possent, titulo subsidii Agentialis nonaginta Florenos, Cathedratici vero sex supra viginti annis singulis pendere tenerentur, Tabulae haecce Consociationis per omnes V. D. Ministros d. 18. Febr. 1782 congregatos, coetuumque nuncios, subscriptae erant. Literis his convenienter Tredecim Oppidani Evangelici, constitutis anno 1783 mense Januario Seniore, Con-Seniore et Senioralibus Inspectoribus, Senioratum condiderunt, neque amplius evanescere passi sunt.

Magistratus hicce in Congregationibus, quas quotiescunque necessum est instituit, omnia in deliberationem sumit, quae ad salutem Ecclesiarum pertinent, imprimis autem inviolatam Jurium suorum conservationem, semper sibi prae ceteris habebat commendatam. Quare cum Rex Leopoldus II. Nostratibus potestatem tribueret, Pestini mense Septembri anno 1791 praesente Commissario Regio, Comite Josepho Brunsvick, Synodum celebrandi: Senioratus Tredecim Oppidanus, potestate hacce ita usus est, ut ad Synodum duos legatos, Andream Jonam

Czirbesz Seniorem, et Thomam Gerhard de Kiralyfalva expediret, quibus praecipue negotium vindicandorum Scriptorum Vinariensium vel omnium, vel saltem Matricularum Viginti Quatuor Regalium et Tredecim Oppidorum, nec non salvandae decimae, Pastoribus Viginti Quatuor Regalium, jam magnam partem Evangelicis per Ferdinandum I. an. 1548, Maximilianum an. 1555 — et omnibus Evangelicis per Rudolphum an 1578 atque Comitem Georgium Thurzo Palatinum anno 1610 peculiaribus Privilegiis confirmatae, commendavit. Praeterea, cum Conventus Districtualis Eperiessini an. 1793 diebus 25. et 26. Sept. celebratus Canonibus Synodalibus convenienter decerneret, ut omnes Ecclesiae Scepusiacae in tres Decanatus divisae, uni communi Seniori subsint; Legati Senioratus Tredecim Oppidani in Conventu hocce praesentes, Sanctioni huic, quippe coalitioni d. 19. Jan. an. 1782 initae prorsus adversae, et tum statim restiterunt et in Conventu Igloviensi d. 9. Jan. 1794 celebrato solenniter declararunt, se nullatenus in conjunctionem cum Ecclesiis Scepusii Montanis et Sub-Carpaticis consentire, quo caverent, ne Juribus, Instrumento, quod vocant, Coalitionis stabilitis, praejudicium fieret. Neque felicior fuit in Consociatione illa Ecclesiarum Scepusiensium procuranda Gregorius Berzeviczy, Districtualis Inspector, qui eam datis d. 24. Febr. a. 1802 ad Tredecim Oppidanos literis, frustra flagitabat. Etenim in Conventu ea de causa Igloviae d. 12. April. an. 1802 celebrato, conjunctio talis Tredecim Oppidanorum cum reliquis Scepusiacis Ecclesiis in unum Senioratum, quod ei Coalitio Eperiessiensis obstaret, repudiata fuit. Non plus lucrati sunt hujus copulationis amici seriori tempore. Quamvis enim Samuel Nicolai Superintendens, nihil intentatum relinqueret, ut commendatum sibi per Conventum Districtualem, Eperiessini d. 3. Julii a. 1804 celebratum junctionis saepius commemoratae negotium tempestate suscipiendae Canonicae Visitationis in

Scepusio renovaret et consumaret: tamen in Conventu, cui omnium Scepusiensium Senioratuum nuncii intererant, Igloviae hac de causa d. 26. Junii a. 1805 celebrato, una cum Districtuali Inspectore oleum et operam perdidit.

Non minus tenaces Jurium suorum sese exhibuerunt Tredecim Oppidani, dum Superintendente Nicolaio rebus humanis an. 1807 erepto, Samuel Bartsch, Sex Liberarum Regiarumque Civitatum Senior, Ecclesiae Cibiniensis Germanicae Pastor Tredecim Oppidanorum Pastorum Jus, Candidatorum pro Superintendentis munere numerum ingrediendi, in quaestionem vocaret. Salvarunt enim Tredecim Oppidani Pastores Jus hocce suum ita, ut unus ex eorum V. D. Ministris, Andreas Fabriczy, Ecclesiae Popradensis Pastor, inter Candidatos pro Superintendentis dignitate referretur, quamvis Sam. Szontagh suffragiis dictivis eum superaret.

Quod probe intelligerent Tredecim Oppidani Coetus Evangelici, cum suis Pastoribus, sine *legibus* nullam societatem consistere posse: Senioratus quoque Tredecim Oppidanus mature curas et studia sua ad peculiarem Constitutionem introducendam convertit. Quare *Coordinationem,* per Districtualem Inspectorem Gregorium Berzeviczy, nec non Andream Fabriczy Popradensis sacri coetus Pastorem conscriptam, in pluribus Consistoriis et Districtualibus Conventibus lectam, examinatam nonnullis in locis immutatam postremo probatam: in Conventu d. 14. Maji an. 1805 habito adoptavit. Hujus Coordinationis exempla typis exscripta anno 1815 ita sunt distributa, ut quisque Pastor unum, Ecclesiae Tabularium alterum obtineret. Ut vero leges Coordinatione illa contentas, latino sermone conscriptas, etiam linguae hujus ignari legere possent: in Conventu Seniorali d. 18. Junii an. 1822 in Monte S. Georgii celebrato, decretum fuit, ut Versio Coordinationis Theodisca, singulis coetibus submittatur, ab iis describenda.

Quoniam verò quaevis Societas, peculiares sibi proprias habet indigentias et necessitates loco et tempori connexas, quibus etiam leges accommodari debent; ideo nonnulli e Tredecim Oppidanis Evangelicis, necessarium judicarunt, ut praeter Coordinationem, peculiares adhuc in usum Senioratus hujus leges scriberentur. Quare in Conventu d. 7. Febr. an. 1809 celebrato, sancitum fuit, ut Coordinatione pro basi sumta, quisque Circulus, quales Senioratus tres numerat, *Projectum*, quod vocant *Statutorum Senioralium*, quae inserviant abusibus praecavendis et bono ordini servando elaboret, unde in pleno Seniorali Conventu leges condi possint. In Conventu Igloviae d. 23. et 24. Jan. an. 1810 instituto, Projectum Statutorum per Andream Fabriczy, Ecclesiae Popradensis Pastorem, paratum digestumque, lectum, censurae subjectum, nonnullis in locis immutatum fuit, decretumque est, ut singulis coetibus communicetur, observationum, si quae adhuc sese offerrent, submittendarum gratia. Observationes hae in Conventu Igloviensi diei 27. et 28. Febr. anno 1812 lectae, digestae in eoque coalitum erat, ut per Praesidium et cujusvis coetus Pastorem atque Inspectorem subscribantur, tumque ut vim legis obtineant, Superintendenti et Districtuali Inspectori pro sanctione mittantur. Hoc consilio d. 22. Jun. Statuta illa munde descripta, lecta et probata Seniori reddebantur, subsignationem procuraturo. Sed atrox mors Seniorem rapuit prius, quam opus hoc ad effectum adduxisset. In Conventu Igloviensi d. 20. Jan. 1813 nonnulla Statuta immutata fuere. Ab eo tempore perpetua oblivione obtuta fuissent, nisi illis anno 1819 d. 4. Febr. Olassii in memoriam revocatis, Conventus sanxisset, ut denuo vulgentur et examinentur, quo tandem recensione peracta, confirmari et subscribi possint. Interim cum causa haec in Conventu Rusquini d. 9. Maji celebrato, paucos inveniret patronos, ad feliciora tempora relegata est.

gelicae in Regno Hungariae, praeser-
ppidis Scepusiensibus concernentes, ab
In Quarto. Liber non compactus.
Literarum Memorabilium, ab anno
Quarto. Fasciculus non compactus.
Conferenzen der Herrnhutischen Ver-
uarto. Liber compactus.
Conclusa Synodi Solnensis. In Quarto

SENIORATUS TREDECIM
NI ECCLESIASTICUS.

decim Oppidanus, quoad ad Superin-
um pertinet, dependet a *Superinten-*
i Inspectore hujus Superintendentiae.
commemoratus Senioratus Superinten-
us exstitit, haec *Superintendentum*

ffiny, ad Superintendentis gradum d.
ctus, P... Popschensis. Huic vale-
. 179... migrante et d. 10. so-
imm... in Conventu Di-
10. M... brato, surrogatus
Eccle... is Pastor Pri-

... ae Slavicae
... septimo
... ritissi-
... elo-

Scepusio ren
cui omnium S
Igloviae hac
cum District
Non mi
Tredecim Op
humanis an.
Regiarumque
manicae Past
didatorum p
diendi, in q
Oppidani P
rum V. D.
densis Past
gnitate ref
ctivis eum
Quod
Evangelici,
cietatem co
Oppidanus
stitutionem
nem, per D
nec non An
storem cons
libus Conven
immutatam p
an. 1805 hal
pla typis exsc
que Pastor un
Ut vero leges
conscriptas, eti
Conventu Seni
S. Georgii sed
nationis Theod
describenda.

Quemadmodum vero legibus, ita et *sumtibus impensisque* nulla societas potest carere. Quare Senioratus quoque Tredecim Oppidanus mature in collationes pecuniae consensit. Suscepit quippe Senioratus in se plura onera. Instrumento coalitionis Eperiessiensis an. 1782 titulo Agentialis Rfnos nonaginta, titulo cathedratici viginti sex stipulabatur, Seniori titulo Honorarii in Conventu Igloviensi d. 22. April. 1802 Rfnos duodecim ultro obtulit, quos una cum Cathedratico ex decreto Conventus Vardi die 6. Julii an. 1824 celebrato, numis ex pacto publico signatis, solvit. Ad aerarium Districtuale die 9. Julii 1807 quotannis Rfnos sexaginta, ad Fiscum Senioralem eodem tempore Rfnos triginta ita se numeraturum spopondit, ut ex postrema hacce Summa Senioris quoque Honorarium solvatur. Ad Fiscum Studiorum Fundi Nyiregyházae d. 21. Oct. 1811 conditi, d. 15. Febr. an. 1814 usuram Rflorenorum bis mille promisit. Quae ut sumtus hi fieri possent, distributio symbolarum inter coetus facta fuit. Quoniam vero rata coetuum singulorum pars, capitum numero non respondebat, anno 1814 die 20. Julii census (animarum conscriptio) imperatus fuit, secundum quem Tabella symbolarum die 7. Febr. anno 1816 fuit confecta. Penduntur solutiones hae (cathedratico et Senioris honorario exceptis) in schedis, quas reluitorias vocant.

Ut vero aerarium Seniorale rite administraretur, confectae erant *normae*, quas *Instructionum* nomine insignimus, observandae ab eo, qui aerario Seniorali praeficitur. Earum prior d. 8. Oct. a. 1807 Igloviae lecta, probata, Danielique Thomann Perceptori Seniorali tradita fuit. Alteram David Blasy obtinuit, in Conventu Rusquini d. 9. Maji an. 1820 habito, lectam confirmatamque.

Sunt Senioratui Tredecim Oppidano praeter nonnulla Opuscula minora, typis exscripta, haec monumenta:

1. *Codex Chronologicus* Viginti Quatuor Regalium ab an. 1598 — 1613, Manuscriptum in Folio. Liber ligatus.

2. *Confessio Fidei Christianae Parochorum Viginti Quatuor Regalium Ecclesiarum in Scepusio*, an. 1590, Manuscriptum in Quarto, cum Subscriptionibus Pastorum. Liber compactus.

3. *Transsumta Privilegiorum decimalium.* Liber compactus.

4. *Mandatum Illustrissimi D. Palatini Comitis Georgii Thurzo*, an. 1610 ad Status Augustanae Confessionis in Scepus et Sáros, ut Libertates A. Conf. Ministris praesertim Viginti Quatuor Regalibus, Superintendentis electio et Consistorii erectio permittantur. Msc. originale in pergameno cum sigillo.

5. *Protocollum Visitationis Superintendentalis, per Reverendissimum D. Superattendentem Samuelem Nicolai* an. 1805 in Senioratu Tredecim Oppidano peractae.

6. *Fragmenta Scriptorum Vinariae adlatorum.*

7. *Fasciculus Epistolarum* ad Kleschium Pastorem Olassensem datarum.

8. *Fasciculus documentorum antiquorum.*

9. *Literae Currentales* Reverendissimorum DD. Superintendentum ab an. 1788 — 1810 cum adnexis Intimatis.

10. *Protocolla Conventuum Districtualium* ab an. 1791 — 1801.

11. *Acta et Conclusa Conventuum Senioralium*, Igloviae ab an. 1775.

12. *Instrumentum Coalitionis Eperiessiensis* in Copia cum accessoriis.

13. *Instantiae, Relationes* et similia Elaborata, rem Religionis in Tredecim Oppidis concernentia.

14. *Status Scholarum Evangelicarum*, in Vener. Senioratu Scepusiensi an. 1804 et 1810.

15. *Matricula Senioratus Tredecim Oppidani*, per Pl. Ven. Dominum Seniorem Andr. Fabriczy congesta. Liber ligatus in Folio.

16. *Plures Fasciculi Protocollorum et Consessuum Senioralium*, Districtualium et Generalium.

17. *Kirchengeschichte der Evangelischen Religion in den Dreyzehn Städten*, von And. Grosz 1786, MS. in 8.

18. *Chronologica Series Pastorum*, post restaurata Sacra. Opus Andreae Fabriczy.

19. *Protocollum Visitationis Senioralis cum Actis.*

20. *Senioral-Statuta des XIII. Staedter Seniorats* 1812.

21. *Fasciculus Currentalium etc. etc.*

22. *Coordinatio Rei Religionaris Ecclesiasticae*, *Superintendentiae* A. C. Add. Evangel. Tibiscanae per Gregorium Berceviczy elaborata.

23. *Acta Religionaria Tredecim Oppida concernentia*, ab anno 1512, I Volum. in Folio. Liber compactus. Liber hic et quae sequuntur omnia a Vener. Paulo Georgio Metzner, Ecclesiae Váraliensis V. D. Ministro, Tabulario Seniorali donata sunt.

24. *Acta Religionaria Tredecim Oppidorum*, ab an. 1760 ad 1785, II Vol. in Folio. Liber ligatus.

25. *Resolutiones Regiae Religionariae*, ab an. 1601, I Vol. in Folio. Liber compactus.

26. *Resolutionis Religionariae Josephi II.* ab an. 1780, II Vol. in Folio. Liber compactus.

27. *Intimata Regia* ab anno 1790. In Folio. Liber compactus.

28. *Sylloge Instantiarum* ab anno 1778. In Folio. Liber compactus.

29. *Acta Conventuum Tredecim Oppidanorum*, ab anno 1776. In Folio. Liber compactus.

30. *Collectanea historico-polemica*, I Tom. in Fol. Liber compactus.

31. *Fasciculus scriptorum politicorum.* In Folio. Liber non ligatus.

32. *Literae memoriales* aliaeque Observationes Stu-

tum religionis Evangelicae in Regno Hungariae, praesertim in Tredecim Oppidis Scepusiensibus concernentes, ab anno 1776 — 1783. In Quarto. Liber non compactus.

33. *Continuatio Literarum Memorabilium*, ab anno 1784 — 1793. In Quarto. Fasciculus non compactus.

34. *Wichtige Conferenzen der Herrnhutischen Versammlungen.* In Quarto. Liber compactus.

35. *Acta et Conclusa Synodi Solnensis.* In Quarto descripta.

MAGISTRATUS SENIORATUS TREDECIM OPPIDANI ECCLESIASTICUS.

Senioratus Tredecim Oppidanus, quoad ad Superintendentiam Tibiscanam pertinet, dependet a *Superintendente et Districtuali Inspectore* hujus Superintendentiae. Erat autem, a quo commemoratus Senioratus Superintendentiae huic adscriptus exstitit, haec *Superintendentum series:*

1. *Joannes Ruffiny*, ad Superintendentis gradum d. 28. Jul. 1779 provectus, Pastor Dopschensis. Huic valetudinario (die 5. Jun. 1791 de vita migrante et d. 10. solenniter sepulto) pro imminenti Synodo in Conventu District. Eperiessini d. 10. Maji 1791 celebrato, surrogatus fuit Samuel Sonntagh, Ecclesiae Cassoviensis Pastor Primarius.

2. *Samuel Nicolai*, Eperiessiensis Ecclesiae Slavicae Pastor, Eperiessini anno 1792 mensis Maji die septimo electus, octavo inauguratus. Vir de Districtu meritissimus. In Senioratu nostro d. 9. Oct. 1796 Templum Igloviense inauguravit, et anno 1805 per Scepusium Canonicum Visitationem peregit. Vivere desiit d. 1. Oct. anno 1807. Ei suffectus fuit:

3. *Samuel Sonntagh*, pluribus suffragiis in Districtuali Conventu Eperiessini d. 27. April. 1806 cooptatus et d. 28. inauguratus. Consecravit anno 1808 d. 16. Oct. Templum Varallense. Obiit d. 5. Jul. 1822.

4. *Paulus Jeszenszky*, in Conventu Districtuali Kesmarkini d. 25. Jan. 1823 electus, et insequenti die inauguratus. Officium spectandi Ecclesias in Conventu hoc ei commissum, ita sibi habebat commendatum, ut anno 1824 Hegyalyenses, an. vero 1825 Scepusiacas Ecclesias recenseret.

Districtualium Inspectorum et quidem:

Primo Primariorum, vulgo Supremorum, nomina haec sunt:

1. *Stephanus de Szirma* decessit d. 13. Jul. 1791.

2. *Franciscus Radvanszky*, in Districtualem Inspectorem d. 5. Aug. 1791 Csetnekini surrogatus primum, deinde d. 14. Jan. 1793 Eperiessini electus. Postquam sese eodem anno exeunte munere abdicasset, successit eidem:

3. *Emericus Horwath*, Stansith de Gradecz, d. 15. Junii 1795 Eperiessini electus. Naturae concessit anno 1801.

4. *Gregorius Berzeviczy*, d. 5. Aug. 1801 Eperiessini electus, rerum Districtus Ecclesiasticarum studiosissimus, die 23. Febr. 1822 mortuus.

5. *Martinus Sturman* in Conventu Districtuali Nagy-Röcsensi d. 26. Jun. 1822 electus.

Secundo: Districtuales Vice-Inspectores erant:

1. *Emericus Horwath*, primum d. 5. Aug. 1791 surrogatus, deinde d. 14. Jan. 1793 Eperiessini electus, postremo in Primarium et Ordinarium d. 15. Jun. 1795 evectus.

2. *Paulus Gömery*, d. 15. Junii an. 1795 Eperiessini electus.

3. *Martinus Sturman*, die 21. Oct. an. 1811 Ny-

regyházae creatus, anno 1822 provinciae primarii Districtualis Inspectoris admotus.

4. *Thomas Dessewffy* d. 25. Jan. an. 1828 Kesmarkini Vice-Inspector renunciatus.

Proximus Tredecim Oppidanarum Ecclesiarum Evangelicarum Magistratus Ecclesiasticus, est *Senior* cum *Seniorali Inspectore* et *Con-Senioribus*.

Seniores, quorum manibus etiam Sigillum, ex decreto Conventus Senioralis Iglovlae d. 22. Jun. 1812 celebrati, ad normam antiquorum Viginti Quatuor Regalium Fraternitatis Sigillorum paratum, cum Inscriptione: „Sigillum Senioratus Tredecim Oppidani Scepusiensis" creditum est, a condito Senioratu erant:

1. *Andreas Grosz*, Durandivillanae Ecclesiae V. D. Minister, an. 1783 Senioris honore ornatus.

2. *Andreas Jonas Czirbesz*, Ecclesiae Novocomiensis Pastor Primarius, d. 4. Maji 1791 Igloviae cooptatus, d. 11. Jan. 1813 mortuus. Eo Seniore Ecclesia Majerkensis recepta est in Fraternitatem Tredecim Oppidanam d. 9. Julii 1807.

3. *Andreas Fabriczy*, Ecclesiae Popradensis Pastor, d. 20. Jan. 1813 antecessori interim surrogatus, d. 19. Julii eodem anno Libicae in Seniorem electus. Vir de Senioratu multis nominibus meritus. Vix enim Senioris provinciae interim fuit admotus, jam Tredecim Oppidanos Pastores perhumaniter rogabat, perscriberent ei omnia, quae ab anno 1782 in singulis coetibus memorabilia evenissent, ut inde Matriculam Senioratus Tredecim Oppidani conficere posset. Hanc Matriculam jam die 15. Febr. anno 1814 in Conventu Popradini celebrato, concioni proposuit. Intulit ei ordine chronologico omnia, quae ab Edicto Tolerantiali usque ad an. 1825 in Senioratu memoria digna evenerunt. Idem Fabriczy anno 1815 socio Seniorali Inspectore, Wilhelmo Krajzell in Circulo Montis S. Georgii

Senioralem peregit Visitationem, anno 1819 Junio exeunte in Ecclesiis Circuli Igloviensis eximio cum fructu continuatam. Anno 1816 aliam adhuc Matriculam condidit Fabriczy, cujus Sectio prima ordine chronologico nomina 71 Pastorum proponit, qui in Ecclesiis Tredecim Oppidanis a restaurato sacrorum jure ad annum usque 1815 sacris operabantur; Sectio secunda eos recenset V. Divini Sacrorumque Ministros, qui anno 1815 Tredecim Oppidanis Ecclesiis praefuerunt. Hanc Matriculam Fabriczy, in Conventu Belae d. 7. Febr. 1816 celebrato, Senioratui eo cum fine tradidit, ut quisque Pastorum, qui in posterum Fraternitati fuerit adscriptus, Albo huic manu propria brevem inscribat biographiam. Fabriczyo Senioris officio vacante, in Congregatione Matthaeivillana d. 21. April. 1818 statutum est, ut quaevis Sessio inchoëtur cum precibus et quidem — ut Conventui d. 4. Febr. 1819 Olassii habito finire placuit — per V. D. Ministrum Oppidi, in quo Conventus celebratur, fundendis. Salutare quoque est institutum, quod ex sententia Reverendissimi Domini Superintendentis Pauli Jozeffy, Fabriczyo Senioris provinciam obeunte, die 6. Julii an. 1824 Varalii conditum est, ut quisque coetus Rationes Ecclesiae in compendium redactas, quotannis Seniori submittat.

Senioralium seu *Provincialium Inspectorum* in Tredecim Oppidis munus, Senioris dignitate antiquius est. Restitutis quippe Coronae Hungariae Tredecim Oppidis, Ecclesiae horum Oppidorum Evangelicae mature intellexerunt, corpus sine capite mortuum esse. Quare Gratis *Tobiae Jony*, Provincialis Ecclesiarum Tredecim Oppidanorum Inspectoris, provinciam mandarunt, eique Joannem Baptistam Jony, Joan. Mart. Grienblatt, Martinum Paltzmann, Seniorem, Samuelem Liedemann, Assessores atque Martinum Paltzmann Juniorem, Notarium, in Conventu Igloviae d. 11. Nov. 1777 celebrato ita adjunxerunt, ut decernerent eorum Consessibus duos quoque ex singulis

Circulis nuncios, alterum quippe sacri, civilis ordinis alterum, interesse debere. Tobia Jony fatis functo in ejus Successorem Tredecim Oppidani Evangelici, *Joannem Baptistam Jony* d. 13. Julii anno 1779 designarunt, cui d. 8. Martii 1780 munere sese abdicanti, die 30. Julii annó 1781 *Stephanum Zitkowszky* de Szemessova, substituerunt. Zitkowszkyo loco recedente, *Martinum Grienblatt*, Seniorem, mense Jan. an. 1783 Primarium, *Joannem* vero *Glaczinger*, secundarium Inspectorem constituerunt. Grienblattio d. 12. April. an. 1802 *Thomam Gerhard de Kiralyfalva*, huic vero d. 23. Martii anno 1811 de vita migranti, *Wilhelmum Krajzell* die 27. Febr. anno 1812 electum et die 22. Junii ejusdem anni muneri solenni ritu admotum, suffecerunt.

Con-Seniores hosce habebat Senioratus Tredecim Oppidanus. Primus fuit *Andreas Jonas Czirbesz*, anno 1783 creatus; hoc in Conventu d. 4. Maji 1791 Senioris muneri praefecto, *Joannes Samuel Keler*, Pastor Filcaviensis, in Con-Seniorem fuit cooptatus. Keler postquam vita d. 26. Dec. 1808 excessisset, *Andreae Fabriczy* d. 23. Jan. 1810 locum cessit. Post introductos in Conventu Igloviensi d. 27. et 28. Febr. 1812 pro numero Circulorum tres Con-Seniores: in Circulo Georgiomontano Fabriczy Con-Senior mansit, cui Senioris locum occupanti d. 19. Julii 1813 *Joannes Scholz*, V. D. Minister Matthaeivillanus, substitutus fuit. In Circulo Igloviensi *Paulo Georgio Metzner*, Varaliensium Pastori, d. 22. Junii an. 1812 Con-Senioris honor obtigit, quem in eadem dignitate *M. Michaël Gotthard*, Pastor Igloviensis, d. 4. Febr. 1819 excepit. Pro Circulo Libicensi *Joannes Brosz*, Durandivillanus Pastor, die 20. Jan. 1813. Con-Senior fuit delectus, qui d. 4. Febr. 1819 *Jacobum Lang*, Villae Rusquini Pastorem, Successorem nactus est.

Actuarios seu Notarios Senioratus Tredecim Oppidanus, ad annum usque 1807 nonnisi ex civili ordine ha-

bebat. Eorum primus *Martinus Paltzmann* Junior fuit. Post provinciam hanc sortitus est *Samuel Laszgallner*, eamque a 6. Martii 1780 — 28. Julii 1801 administrabat. Huic *Alexander Görgey* d. 12. April. 1802 successit. Devolutae sunt post partes hae primum in *Paulum Tersztyanszky* deinde, hoc in otia recedente d. 19. Julii a. 1813 in *Joannem Georgium Paltzmann*.

Ordinariis Notariis in auxilium, ab anno 1802 *Vice-Notarii* fuere dati, quorum primus erat *Paulus Tersztyanszky* a d. 12. April. 1802, qui postquam Ordinarii Notarii sedem occupasset *Joanni* et *Joanni Georgio Paltzmann*, d. 12. Jun. 1812 locum cessit. Joanne Georgio Paltzmann Ordinarii Notarii munus capessente, *Friedericus Ernestus Hoencz* d. 19. Julii 1813 Vice-Notarius designatus exstitit. Notariis ex civili ordine d. 9. Julii 1807 adnexus fuit, *ex statu Ecclesiastico, M. Michaël Gotthard*, Pastor Igloviensis, cui praecipue id muneris fuit delatum, ut ex materiis, in singulos annos per V. D. Ministros suppeditandis, historicos Actorum Commentarios scriberet, quibus casus et vicissitudines memoratu dignae in Tredecim Oppidis obviae insererentur. Munere decedens Gotthard, d. 19. Julii anno 1813 *Joannem Samuelem Toperczer*, Ecclesiae Olassensis Pastorem, nactus est successorem, hoc vero praematura morte exstincto in Conventu Belae d. 7. Febr. 1816 celebrato, denuo provinciam Notarii adiit, quam ad d. 4. Febr. 1819 gessit. Ab eo tempore locum hunc *Samuel Klein*, V. D. Minister Filcaviensis, cum laude tuetur.

Etiam *Vice-Notarios Ecclesiasticos* Tredecim Oppidanae Ecclesiae constituerunt, quorum unus ad 22. Junii 1812 *Jo. Samuel Toperczer* fuit. Hic die 22. Jan. 1813 *Danielem Szontagh*, Pastorem Georgio-Montanum, in Circulo Montis S. Georgii et *Ludovicum Kajser*, Pastorem Menhardivillanum, in Circulo Libicensi socios accepit

et Collegas, quorum tamen munera tacite in oblivionem adducta sunt.

Aerario administrando praefecti *Seniorales Perceptores* hoc ordine sese excipiebant: *Joanni Georgio Jony* successit d. 9. Julii 1807 *Daniel Thomann*, quo d. 21. April. anno 1814 mortuo, *Samuel Szontagh* d. 20. Julii ejusdem anni Igloviae in Senioralem Perceptorem electus est. Hic munere sese anno 1819 abdicavit, quod *David Blasy* d. 30. Decembris anno 1819 suscepit et peculiari solertia fideque administrat.

APPENDIX

CONTINENS

LITERAS, TABULAS, ACTA HISTORIAM SENIORATUS TREDECIM OPPIDANI ILLUSTRANTIA.

I.

CONFESSIO FIDEI CHRISTIANÆ

Ecclesiarum Scepusiacarum quae usitate vocantur Viginti quatuor Regales, Confessioni tam Augustanae, quam et quinque Civitatum L. Regiarumque Superioris Hungariae consentiens.

Anno 1549 Imperatori et Regi Ferdinando I.; anno vero 1560 Antonio Verantio Episcopo Agriensi, et Eidem jam Archi-Episcopo Strigoniensi anno 1573 exhibita; in Synodo Cibiniensi anno 1560 per Pastores et Legatos Liberarum Civitatum probata; atque per Universitatem Comitatus Scepusiensis in Generali Congregatione anno 1587 acceptata et ratihabita.

I. *De Deo.*

Docemus et credimus decretum Nicenae Synodi de Unitate essentiae Divinae, et de tribus personis, verum et sine ulla dubitatione credendum esse, videlicet, quod Deus sit una individua, aeterna, bona, justa, sapiens, immensa es-

sentia divina, juxta illud Deut. 6. Dominus Deus noster Deus unus est. Et tamen sint tres distinctae personae ejusdem essentiae, potentiae, gloriae et aeternitatis. Pater Filius et Spiritus sanctus juxta distinctionem Domini, Matthaei ultimo: Baptisate eos in nomine Patris, filii et Spiritus sancti.

II. *De Creatione.*

Docemus et credimus, eundem Dominum qui in essentia unus, et in personis trinus est, omnia creasse, et adhuc creare et conservare, fuisseque originaliter in ipsa creatione omnia valde bona, sicut Genes. 1. scriptum est. Sed Lucifer cum suis copiis degeneravit, et homines quoque secum in eandem inobedientiam traxit. Hinc omnia, quae mala sunt, habent originem suam. Deus enim propter peccatum maledixit terrae. Et sicut mors propter peccatum intravit in mundum, invidia Diaboli Rom. 5. sic etiam omnes plagae sunt poenae peccatorum.

III. *De Peccato Originis.*

Docemus et credimus primos parentes origine justos fuisse, lapsu autem Justitiam amisisse, omnesque homines cum originali injustitia, et peccato quod aeterna morte dignum est, nasci, neque ab hoc ullis suis viribus liberari, juxta illud Psalm. 51. Ecce iu iniquitatibus conceptus sum etc. Gen. 8. Omnis cogitatio humani cordis ad malum prona est ab infantia. Et Augustin. Thom. 9. in Joannem Tractatu 49. Nemo se palpet, de suo Sathanas est, de Dei beatus est. Quid est enim de suo? nisi de peccato suo. Tolle peccatum quod est tuum, justitia, inquit, de meo est. Quid enim habes quod non accepisti? Ambrosius de vocatione gentium Lib. 1. Cap. 9. Licet insit homini malum velle, i-

lud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam. Bernhardus in homil. I. de Annunt. B. Mar. Virg. Si stare non potuit humana natura adhuc integra, quanto minus potuit per se ipsam resurgere jam corrupta.

IV. *De incarnatione Filii Dei.*

Docemus et credimus mediam personam in divinitate, quae nunc verbum, nunc filius vocatur, in Scriptura sacra, veram carnem humanam, ex utero intactae Virginis, sine peccato assumsisse, vereque Deum et hominem in una persona de Virgine natum esse, juxta vaticinium Esa. 7. Ecce Virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emanuel, et historiam Luc. 1. et 2. Quodque idem factus est hostia pro peccatis totius mundi satisfaciens. Esa. 53. Posuit Dominus iniquitates omnium nostrorum super eum. Joan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. 2 Cor. 5. Pro omnibus mortuus est. Item, quod tertia die resurgens a morte, justitiam, quae nobis coram Deo imputatur, attulit. Rom. 4. Traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter justificationem nostram. Item, quod adscendit ad Coelos et venturus sit judicare vivos et mortuos, juxta symbolum Apostolorum et testimonium Angelorum. Act. 1. Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in Coelum.

V. *De Justificatione.*

Et quoniam oportuit filium Dei pro peccatis totius mundi tradi et conteri, docemus et credimus, homines nullis suis viribus nec operibus posse placare Deum, nec placere Deo, nec assequi justitiam, quae in judicio Dei consistat: justificari autem gratis absque suo merito, si detestando peccata credunt in Christum, quod unica obla-

tione in cruce facta, Pater sit placatus omnibus, qui hujus Mediatoris fiducia ad misericordiam ejus confugiunt. Qui igitur habent fidem, iidem habent remissionem peccatorum, et pro Justis reputantur. Rom. 3. Ut omne os obstruatur, et reus fiat totus mundus Deo, quia et operibus legis non justificabitur omnis Caro in conspectu ejus. Justificantur autem gratis, per illius gratiam, per redemtionem Jesu Christi. Irenaeus libr. 4. Cap. 13. Fides quae est ad Deum, justificat hominem. Hilarius in Matth. can. 8. Monet scribas remissum ab homine peccatum. Hominem enim tantum in Jesu contuebantur, et remissum ab eo, quod lex laxare non poterat, fides enim sola justificat. Ambr. ad Rom. 3. Justificati sunt gratis, quia nihil operantes neque vicem reddentes, sola fide justificati sunt dono Dei. Item Ambr. 1 Cor. 1. Hoc constitutum est a Deo, ut qui credit in Christum salvus sit, sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum. Hieron. ad Rom. cap. 4. Convertentem impium per solam fidem Deus justificat, non opera bona quae non habuit.

VI. *De Fide.*

Fides autem qua tanta beneficia apprehendimus, non est humanum aliquod opus, aut tantum notitia de Christo quae etiam in impiis et Diabolis consistere solet, sed est donum spiritus sancti; quod ut assequamur, ministerium est institutum, in quo sonat pura doctrina Evangelii, et administrantur Sacramenta. Per hoc enim ministerium Spiritus Sanctus est efficax in auditoribus non repugnantibus, sed obtemperantibus ministerio, juxta illud Rom. 10. Fides ex auditu, auditus per verbum Dei; August. Psal. 61. Non magnum est credere quia mortuus est Christus, hoc et Pagani et Judaei et omnes iniqui credunt, hoc omnes credunt, quia mortuus est, sed fides Christianorum resur-

rectio Christi est, id est, est assentire et certa fiducia statuere, Christum propter justitiam nostram resurrexisse. Ambr. 2 ad Tim. Cap. 2. Fundamentum Dei fides est, quae continet, quae promisit Deus, signaculum promissionis Dei fides nostra est, quae affirmat Dei verba: Ambr. libr. 3. de virginibus: O thesaurus omnibus opulentior fides, o virtutibus, corporis omnibus fides fortior.

VII. *De bonis operibus.*

Nec tamen ita docemus Fidem, ut plurimi blasphemant nos, quod opera bona non sint facienda, sed fatemur, et urgemus fidelibus opus esse bona conscientia, et ab ipsis opera divinitus mandata necessario requiri. Nam in iis, qui contra Mandatum Dei de industria indulgent, nec repugnant suis cupiditatibus bona conscientia locum habere non potest. Sumus enim debitores non carni ut secundum carnem vivamus, sed liberati a regno Diaboli et translati in regnum Dei, ut Deo serviamus. Sed tamen addimus, huic novae obedientiae non esse confidendum, quasi per eam mereamur remissionem peccatorum, justitiam et vitam aeternam coram Deo. Manifesta est enim sententia Christi: Cum feceritis omnia, dicite: Servi inutiles sumus, Eph. 2. Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex nobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Chrysost. ad Gal. cap. 5. Nihil opus habemus illis legalibus, sufficit enim fides ad hoc, ut donet nobis spiritum et per hunc justitiam, multaque super et magna bona Hilar. Psal. 52. Jesus, ut saepe diximus, ipso nomine salutaris est. Lex autem ex Sion non fuit salutaris, opere quidem vivificans, sed non justificans ex fide.

VIII. *De Ecclesia.*

Ecclesia est Coetus visibilis, audientium, credentium et amplectentium puram et incorruptam doctrinam Evangelii, et utentium Sacramentis, ita, ut a Christo sunt instituta, in quo Coetu Deus per ministerium est efficax, et multos ad vitam aeternam regenerat, cui in hac vita multi adjuncti sunt, non renati, sed tamen de doctrina consentientes. Haec definitio confirmatur clarissimis dictis, Joan. 10. Oves meae vocem meam audiunt. Esa. 26. Aperite portas, et ingrediatur gens justa custodiens novitatem. Eph. 5. Christus dilexit Ecclesiam et salvificavit eam; mundatam lavacro aquae per verbum. Joan. 6. Verba, quae ego loquor vobis, spiritus et vita sunt. Matth. 13. Simile est regnum coelorum sagenae missae in mari, et capientis omnis generis pisces. Chrysost. in Matth. cap. 24. Homil. 49. Qui vult cognoscere quae, sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat nisi tantummodo per scripturas. Cum autem certum sit in nostris Ecclesiis puram Evangelii Doctrinam proponi, et Sacramenta administrari legitime, sitque consensus in doctrina in omnibus locis, affirmamus sine arrogantia, nos esse cives et membra verae Ecclesiae, et falso accusari haereseos et schismatum, juxta illud Joann. 15. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. Item: Vos amici mei estis, si feceritis quaecunque ego praecipio vobis. Ad Ephes. 5. Ecclesia subdita est Christo. — Et haec sunt praecepta fidei, per quae inserimur Ecclesiae et servamur.

Quia vero Adversarii nostri doctrinam Evangelii firmam, et usum Sacramentorum corrumpunt, et pios homines interficiunt, docemus illos non esse Ecclesiam Dei, sicut gloriantur, sed illum Coetum, de quo Christus inquit Joan. 8. Vos ex patre Diabolo estis, ille mendax et homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, et desideriis

Patris vestri obsequimini. Luc. 11. Qui non est mecum, contra me est. Item: qui non diligit me, sermones meos non servat. Lyra super Matth. cap. 16. Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis vel dignitatis Ecclesiasticae vel secularis, quia multi principes et summi Pontifices, et alii inferiores inventi sunt apostatasse a Fide, propter quod Ecclesia consistit in illis personis, in quibus est notitia vera et Confessio fidei et veritatis. Hieron. Qui ergo peccator est, aliqua sorde maculatus de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici.

IX. *De Baptismo.*

Baptismus est Sacramentum a Christo institutum, quo Deus pater per Christum filium suum, una cum Spiritu Sancto, promittit ei, qui baptisatur, remissionem peccatorum, et adoptionem in filium Dei, et vitam aeternam, non quod ullum peccatum sit residuum apud baptisatos, sed quod non imputetur, modo odium peccati et fides in Christum adsit, juxta promissionem: qui crediderit et baptisatus fuerit, salvus erit. Hanc cerimoniam adhibitis piis precibus religiose administramus, et detestamur Anabaptistas, et alios omnes, qui de hac gravissima et sanctissima cerimonia prava sentiunt et loquuntur, sicut exempla docent, nos Anabaptistas sanabiles ad revocationem coëgisse, insanabiles vero agris et finibus nostris ejecisse.

X. *De Coena Domini.*

In Coena Domini docemus et credimus verum et substantiale corpus et sanguinem Domini, de Virgine natum et in cruce passum, sumi ab Ecclesia. Dicit enim Dominus: Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur.

Hic est sanguis meus qui pro vobis effunditur. Unamque omnium Coenam, sive Missam (ut vocant) quolibet die festo celebrantes, porrigimus singulis aut pluribus, qui coram Sacerdote rationem fidei suae reddentes emendationem vitae promittunt, petuntque consolationem, absolutionem et in confirmationem fidei suae usum venerabilis Sacramenti. Jubet enim Dominus Coeli et Terrae, integre uti Sacramento idque mandatum dat omnibus. Et Paulus Corinthiorum Ecclesiae usum integri Sacramenti commendat, juxta dictum Augustini in Serm. ad infantes: quod vidistis panis est calix, quod vobis oculi etiam nostri renunciant, quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, Calix sanguis. Chrysost. Hom. 18 in posteriorem ad Corinth. Est ubi nihil differt sacerdos a subdito, ut quando fruendum est venerandis mysteriis; similiter enim omnes ut illa participemus digni habemur, non sicut in veteri Lege partem quidem sacerdos comedebat, partem autem populus, et non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat sacerdos, sed nunc non sic; verum omnibus unum corpus proponitur et unum poculum. Et fuisse consuetudinem hanc in Ecclesiis docent conciones usitatae. Quibus sub bina specie carnem dedit et sanguinem uti duplici substantia totum cibaret hominem etc. Et quia Christus mandat, ut ad hujus Sacramenti administrationem adjungatur memoria mortis suae, praeter usitatas conciones adduntur, quibus fides et caeteri cultus spirituales in pectoribus hominum accenduntur.

XI. *De Confessione.*

Privatam Confessionem propter tres causas omnino retinemus. Primum ut rudes examinentur et instituantur. Secundo ut illi, qui speciales perturbationes conscientiarum

habent, etiam Consolationem specialem ex Verbo Dei petant. Tertio ut singulis seorsim absolutionis sacramentum impertiatur. Superstitiosam autem omnium peccatorum enumerationem non esse necessariam tradimus. Primo enim est impossibilis juxta illud: Delicta quis intelligit. Deinde quod remissio peccatorum non pendet ex enumeratione eorum, sed ex divina misericordia et meritis Christi, propter quae Evangelium affert remissionem peccatorum omnibus agentibus poenitentiam. Magis autem hortamur populum ad agendam poenitentiam, et apprehendendum Evangelium fide, quam ad impossibilem et non necessariam enumerationem omnium peccatorum, ne laquei conscientiis injiciantur.

XII. *De Poenitentia.*

Caeterum perpetuo urgemus doctrinam poenitentiae, sine qua nec ingredi quisquam in Ecclesiam, nec ingressus perseverare potest. Constat autem vera poenitentia primum, contritione, quando corda franguntur ira Dei, mortemque aeternam sentiunt, revelante lege Dei peccata. Deinde fide, quando Evangelio offerente, meritum et satisfactionem Christi, corda ex pavoribus eriguntur, fiducia misericordia patris, quam Christus conciliavit omnibus agentibus poenitentiam, et in ipsius nomine credentibus. Postremo sequi debent bona opera, quae sunt fructus poenitentiae juxta illud 2 Petr. 1. Praestate in fide virtutem.

XIII. *De usu Sacramentorum.*

Sacramenta sentimus non tantum ideo a Christo instituta esse, ut discrimen faciant inter Christianum et non Christianum, sed potius ut sint sigilla divinae voluntatis

erga nos, ad hoc proposita, ut in singulis per haec pacl divina excitetur et confirmetur fides. Nisi igitur ads fides apprehendens pactum et promissionem Dei, inani est usus Sacramentorum, imo cedunt in judicium jux Pauli testimonium 1 Cor. 11. Qui manducat et bibit in digne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans cor pus Domini.

XIV. *De Ministris.*

Sentimus nemini licere fungi officio publico docend et administrandi Sacramenta in Ecclesia, nisi legitime vo catus fuerit ab Ecclesia, et a fidelibus eruditisque ante denique probatis Ministris Verbi Dei approbatus, et in ordinem assumtus, juxta ritum Veteris Ecclesiae. Actor. 1 item 1 Tim. 5. Manus ne cui cito imponas. Item: Con stitue oppidatim Ministros et Presbyteros, Tit. 1.

XV. *De Cerimoniis.*

Cerimonias in Ecclesia servamus, et servandas esse sentimus quae ornant Ministerium, possuntque bona con scientia servari, ut sunt certae feriae, cantiones, lectiones sacrae et Orationes additae ad Dominicam coenam cele brandam, item vestes speciales Ministrorum et alia multa quae tametsi absque peccato omitti possunt in Ecclesiis recte institutis: tamen quia ornant Ministerium ea studiose retinemus, juxta illud Pauli 1 Cor. 14. Omnia decenter et ordine in Ecclesia fiant.

XVI. *De Rebus Politicis.*

Magistratus, judicia, rerum proprietatem contractus legitimos, et alia rectae rationi consentanea probamus, et

bonas Dei ordinationes, quas Evangelium non modo non improbat, verum etiam confirmat, et praecipit ut in magno honore habeantur secundum Deum.

XVII. *De Matrimonio.*

De Matrimonio ita sentimus, Matrimonium esse divinam Ordinationem, ac propterea damnatis vagis libidinibus, contrahendum esse ab idoneis hominibus, qui donum castitatis virginiae non habent, cujusque Ordinis homines fuerint. Nam scortatores non habent partem in Regno Dei, inquit Paulus. Et Christus neminem alligat ad Coelibatum. Dicit enim Matth. 19: Non omnes capiunt verbum hoc, qui potest capere capiat. Ex his causis docemus Sacerdotibus licere uxores ducere. Constat enim in Ecclesia veteri, Sacerdotes fuisse maritos et Sacerdotum liberos. Et Paulus jubet Episcopum et Ministros eligi maritos.

XVIII. *De Resurrectione mortuorum.*

Resurrectionem mortuorum justorum et injustorum in die judicii certissime futuram esse statuimus, in qua pii aeterna praemia consequentur, impii vero aeternas poenas.

XIX. *De libero arbitrio.*

Liberum arbitrium fuisse in primis parentibus ante lapsum affirmamus, sicut Angeli, qui lapsi non sunt, adhuc habent, sed post lapsum amiserunt libertatem, sicut et alia dona integrae naturae, ita ut in externis duntaxat rebus aliquam habeamus eligendi libertatem, ut possimus hoc vel illo colore vestiri, hoc vel illo cibo vesci, honeste vivere, scandala vitare, vitam nostram foris ad normam

decalogi gubernare, tametsi haec ipsa voluntas saepe e varie impeditur. Sed verum timorem, fidem et dilectionem Dei praestare, item Evangelio credere non est i nostris viribus, juxta illud: Nemo novit filium nisi Pate et Patrem nemo nisi filius, et cui filius voluerit revelare Item: Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum.

XX. *De Invocatione Sanctorum.*

Sanctos vita defunctos, omni quidem laude dignos esse docemus, ut qui praelucent nobis doctrina, multisque praeclaris exemplis, at propterea non invocandos. Non enim audiunt nostram Invocationem juxta illud Ges. 63. Abraham nescit nos, et Israel ignorat nos, tu autem Deus Pater noster es. Ecclesiast. 9. Vivi enim sciunt se moriturος, mortui vero nihil amplius norunt, nec si audirent, habent aliquid, quod in nos erogent. Idem prohibetur etiam primo et secundo Decalogi praecepto. Invocatio enim sicut et alii cultus primae tabulae nulli debetur, nisi Deo. Tria autem in omni Invocatione (nisi aërem verberare velis) requiruntur: videlicet Mandatum quod oporteat invocare; deinde promissio quod exaudiamur, et fides, quod nos simus illi, a quibus invocatio fieri debet. De sanctis vita defunctis nihil horum habemus; ergo invocatio Sanctorum, etiamsi idololatria non esset, tamen inanis sonus. Quin et Patres ipsi Invocationem Sanctorum reprehendunt. Sic enim Epiphanius contra Colliridianos scribit de beata Virgine: Revera sanctum erat corpus Mariae, non tamen Deus: revera virgo erat ipsa virgo et honorata non autem proposita est ad adorationem, sed ipsa adorans eum, qui carne genitus est ex ea. Et Ambros. ad Rom. cap. 1. Solent misera uti excusatione dicentes: per istos iri ad Deum, sicut per Comites pervenitur ad Regem. Agnum quid tam demens est aliquis, ut salutis suae imme-

mor, ut honorificentiam Regis vindicet Comiti etc. Et mox: Isti non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturae, et relicto Domino conservos adorant. Nunc igitur ad Regem per Tribunos et Comites itur, quia homo utique est rex, et nescit quibus debeat rempublicam credere. Ad Deum autem promerendum, quem utique nihil latet, suffragatore non est opus, sed mente devota.

Haec est brevis Confessio seu Summa Doctrinae Ecclesiarum nostrarum, quam ex sacris et aliorum doctorum libris collegimus, fatemurque eam piam, et verbo Dei consentaneam esse. Quod si quis ex spiritu et verbo Dei melius nos docebit, nullam boni piique hominis informationem aspernabimur, sed eam grato animo accepturi sumus. Sed scimus hanc doctrinam esse verbum dei verum et invictum et oramus, ut in eo Christus nos conservet et spiritum sanctum largiatur, ut coram toto mundo de testimoniis suis absque confusione loqui et in vera fide perseverare possimus. Amen.

II.

FORMULA EXCOMMUNICATIONIS

Pastorum Viginti Quatuor Regalium in Scepusio, auctoritate Petri Pázmanni Archi - Episcopi Strigoniensis anno 1632 *confectae.*

Ex auctoritate Dei Omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti et Sanctae Mariae Virginis, matris Domini nostri Jesu Christi, et sanctorum Angelorum et Archangelorum et St. Michaëlis et St. Baptistae, et ex vice B. Petri Apostoli et aliorum Apostolorum, et S. Stephani et omnium Martyrum, Sylvestri et D. Adalberti et omnium Confessorum, et S. Adelgundis, et S. Virginum et omnium Sanctorum, qui sunt in coelo et in terra, quibus data est potestas ligandi et solvendi: Excommunicamus, damnamus, maledicimus vinculo Anathematis, et a liminibus sanctae matris Ecclesiae segregamus illos fures, sacrilegas, raptores, consiliarios, adjutores, adjutrices, qui hoc furtum sive hoc malum perpetrarunt, sive sibi inde aliquid usurpaverunt. Sit pars eorum cum Core, Datan et Abiram, quos terra propter eorum peccata deglutivit, sit etiam pars illorum cum Juda traditore, qui Dominum pretio vendidit. Amen. Et cum Pontio Pilato, et cum iis qui Domino dixerunt, recede a nobis, scientiam nolumus tuam. Fiant filii eorum orphani, sint maledicti in civitate, maledicti in agro, in campo, in sylva, in domibus, maledicti in horreis, in lectulis, in cubiculis, maledicti in curia, in via, in villa, maledicti in castro, in flumine, maledicti in Ecclesia, in coemeterio, in tribunalibus judicii, maledicti in foro, in bello, maledicti in orando, loquendo, tacendo, manducando, vigilando, dormiendo, bibendo, palpando, sedendo, jacendo, stando; maledicti in otio, maledicti

omni tempore. Maledicti in toto corpore, in tota anima et in quinque sensibus corporis; maledictus fructus ventris eorum, maledictus fructus terrae eorum, maledicta sint omnia eorum, maledictum caput eorum, ora, nares, nasus, labia, fauces, dentes, oculi, pupillae, cerebrum, palatum, linguae, guttura, pectus, corda, venter, jecur, viscera omnia; maledictus stomachus, splen, umbilicus, vesica; maledicta sint crura, tibiae, pedes et pollices eorum; maledicta colla, scapulae, dorsa, brachia, cubitus; maledicta manus et digitus; maledicti ungues in manibus et in pedibus; maledicta costa, genitura, genua, caro, ossa; maledictus sanguis eorum, maledicta pellis, maledicta sit medulla in ossibus eorum; quidquid interest eorum; maledicantur in Christi passione et cum quinque vulneribus Christi et cum effusione sanguinis Christi, et cum lacte Virginis Mariae.

Adjuro te Lucifer! cum omnibus satellitibus tuis, item cum Patre et Filio et cum Spiritu Sancto, et cum humanitate et nativitate Domini, et cum virtute omnium Sanctorum, ut nullam habeas quietem diebus ac noctibus, donec perduxeris eos ad interitum, sive in fluminibus mergantur, sive suspendantur, vel devorentur a bestiis, sive comburantur, sive interficiantur ab inimicis, odio habeantur ab omnibus viventibus, vel solum manes eorum. Et sicut Dominus Petro et ejus successoribus, quorum vices tenemus, et nobis, quamvis indignis, potestatem contulit, ut, quodcunque ligaverimus in terris, ligetur etiam in coelis, et quodcunque solverimus in terris, solveretur et in coelo, sic illis coelum claudimus, et terram ad sepulturam negamus, sed sepeliantur in pascuis asinorum. Insuper sit terra maledicta, in qua fit sepultura eorum, pereant in futuro judicio, conversationem cum Christianis non habeant, neque corpus Domini, cum in mortis articulo sunt, suscipiant: fiant tanquam pulvis ante faciem

venti, et sicuti Lucifer dejectus est de coelo, et sicuti Adam et Eva e Paradiso ejecti sunt, sic expellantur de quotidiana luce. Item consociati sint cum illis, quibus Dominus dicet in die judicii: Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo et Angelis ejus, ubi vermis eorum non morietur, nec ignis exstinguetur. Et sicut candela haec de manibus meis ejecta exstinguitur, sic corpora eorum et animae eorum in foetore baratri exstinguantur, nisi reddant, quod furati sunt, intra certum terminum. Dicant omnes Amen. Postea cantabitur media vita in morte.

Pag.	182	lin.	9 Archi - Episcopi l. Archi - Episcopo
—	—	-	15 civis l. cives
—	—	-	26 Plebano l. Plèbani
—	183	-	12 fragam l. frugum
—	184	-	8 excessit l. excepit
—	—	-	35 recessere l. arcessere
—	185	-	23 alteratio l. alterutro
—	—	-	26 profitenda in formulam l. profitenda formulam
—	187	-	3 Cujavo l. Cujavae
—	—	-	11 de l. deo
—	—	-	16 exstantis l. exstantes
—	—	-	21 quippe hoc quod l. quippe quod hoc
—	—	-	28 orant abrogatis l. orant ut abrogatis
—	188	-	2 neque Administratore l. neque ab Administratore
—	—	-	25 caceris l. carceris
—	189	-	21 poena l. poenae
—	—	-	22 duratura l. duraturae
—	—	-	23 mulcta l. mulctae
—	—	-	28 ipsam l. ipsum
—	—	-	35 erant l. orant
—	190	-	19 ipsa l. ipse
—	191	-	2 accessitate l. necessitate
—	192	-	24 certae l. certa
—	194	-	32 ingressam l. ingressum
—	195	-	11 Praeconos l. Praecones
—	197	-	25 damnati l. damnari
—	203	-	35 vitis l. viris
—	205	-	10 prolecta l. prolata
—	—	-	19 summa l. summae
—	—	-	24 devinciendis l. devinciendos
—	212	-	28 expressu l. expressae
—	213	-	1 pag. 28 — 30 l. pag. 59 — 62
—	215	-	9 partis l. pactis
—	—	-	17 Judicium l. Judicum
—	216	-	25 profectum l. provectum
—	—	-	33 Differre deleatur.
—	224	-	9 praecipit l. praecepit
—	227	-	6 vare l. vere
—	—	-	17 missa l. missae
—	228	-	12 Golozianas l. Golczianas
—	—	-	25 faciandi l. faciundi
—	229	-	23 Evangelici l. Evangelicorum Aug.
—	233	-	27 confirmati l. confirmari
—	234	-	3 peterant l. poterant
—	236	-	5 exercitiam l. exercitium
—	242	-	18 urgene l. urgente
—	244	-	3 causae l. causa
—	245	-	10 Episcope l. Episcopo
—	252	-	15 strenua l. strenna
—	255	-	32 eos l. eorum
—	256	-	26 Parochiali l. Parochialia
—	260	-	18 exeratum l. exsecratum

Pag.	262	lin.	25	semel l. semet
—	—	-	29	periculam l. periculum
—	263	-	16	Precii l. Graecii
—	271	-	19	adsignitus l. insignitus
—	272	-	22	Ursivillanae l. Ursivillana
—	277	-	29	obtuta l. obruta
—	279	-	16	Vinariae l. Vinaria
—	284	-	30	Oppidanorum l. Oppidanarum.

Addenda et emendanda.

Pag. 3	lin.	9	oportunissima, lege opportunissima
- 4	-	20	Socerdotibus l. Sacerdotibus
- 5	-	3	Sázvàrini l. Sárvarini
- 7	-	4	Quendel l. (Quendel)
- —	-	23	Szanyogh l. Szunyogh
- 8	-	1	Necrensi l. Neerensi
- 10	-	5	Dudithcus Episcopus Kninensis l. Dudithius Episcopus Tinniensis.
- —	-	18	delecta l. delata
- 15	-	21	quae praelecto l. in qua praelecto
- 23	-	28	repetitueros l. repetituros
- 26	-	12	perderent l. penderent
- —	-	15	patronium l. patrocinium
- —	-	23	hisoriae l. historiae
- 27	-	18	Gömoriensi l. Gömöriensi
- 32	-	20	poëta l. poëtae
- 39	-	16	venerabili l. venerabile
- —	-	21	afficiant l. afficiantur
- 42	-	7	Jam l. Tam
- —	-	20	vere l. vero
- 43	-	10	Satrzs l. Sztrazs
- —	-	14	Kabin l. Kubin
- —	-	20	obstrictii l. obstricti
- 46	-	26	et legum l. a legum
- 48	-	18	Ugetsensi l. Ugötsensi
- —	-	24	Dornensi l. Tornensi
- —	-	26	Liberas l. Liberarum
- 50	-	12	integram l. integrum
- 52	-	30	adversarius l. adversariis
- 55	-	7	Evangelina l. Evangelica
- 56	-	15	ducuntor l. ducunto.
- —	-	17	veterum l. ceterum
- 60	-	17	confictis l. convictis
- 63	-	3	quod ille l. quod illi

Pag.	67	lin.	33	declarabant l. declarabantur
—	72	-	26	Modiae l. Modrae
—	75	-	2	interdicebant l. interdicebantur
—	—	-	21	tribuebantur l. tribuebatur
—	78	-	3	erumque l. eorumque
—	81	-	28	Viennensim l. Viennensem
—	85	-	32	eamdem l. eandem
—	—	-	35	accipiantur l. recipiantur
—	87	-	31	Wachter l. Waechter
—	88	-	30	Reth l. Roth
—	94	-	28	Rescripto l. Rescripta
—	95	-	19	quoque sine l. quoque non sine
—	96	-	9	cogeret l. cogeretur
—	—	-	19	desiderant l. desiderantur
—	99	-	16	aliento l. alienato
—	104	-	2	Gedgocensis l. Galgocensis
—	109	-	1	Heodikius l. Hodikius
—	110	-	5	Illinicensis l. Hlinicensis
—	111	-	8	Staphanus l. Stephanus
—	—	-	17	Illijavensis l. Mijavensis
—	112	-	31	Kovát l. Kováts —
—	113	-	10	Paramszegini l. Garamszegini
—	—	-	35	Garumszegenses l. Garamszegenses
—	114	-	5	1705 l. 1704
—	—	-	6	1727 l. 1728
—	—	-	28	Hamljar l. Hamaljar
—	118	-	8	priscinam l. pristinam
—	120	-	11	Berssodensium l. Borssodensium
—	—	-	30	Cibini l. Cibinii
—	121	-	19	partis l. partes
—	122	-	31	Csetnanszky l. Czernanszky
—	129	-	34	Dussocz l. Bussocz
—	—	-	35	Totfalii l. Totfalu
—	131	-	7	quae l. quas
—	143	-	30	Váraliensis l. Váralienses
—	146	-	6	Gergensis l. Görgensis
—	149	-	8	Polinici l. Polonici
—	150	-	7	invitabat l. invitabatur
—	156	-	7	cumque l. eumque
—	162	-	21	Fitcensi l. Filcensi
—	164	-	16	sententiae, deleatur.
—	167	-	23	eonditio l. conditio
—	173	-	29	securitates l. securitatis
—	175	-	8	Palvalfay l. Palfalvay
—	177	-	4	andeat l. audeat
—	—	-	19	audiente l. audiendi
—	178	-	5	casus l. caesus
—	—	-	7	sulivit l. subivit
—	—	-	15	abrogabat l. abrogabatur.
—	179	-	27	morbe l. morbo
—	181	-	32	indedit l. indidit
—	182	-	8	eum l. cum

